N: 6: 78.
30d e 29
N. . 6 . 78
30

NN. d. 67.

MOTVS MONASTERIENSIS LIBRI DECEM IAM PRImum in lucem æditi, Magiſtro Iohanne Fabricio Bolando authore.



ALESSANDRINA

Coloniæ Martinus Gymnicus excudebat, Anno M. D. XLVI.

PIETATE
ET ANIMI MAGNI

tudine laudatiſſimo Principi ac domino . D. Franciſco Vualdecho, eidemq́; R. Monaſterienſis & Oſnaburgenſis Diocœſios Præſuli, & Mindæ adminiſtratori, ſuo Domino clementiſſimo M. Iohannes Fabricius Bolandus S. D.

QVanto, Franciſce Princeps illuſtriſſime, grauiſſima illa ſeditio per Phanaticas Anabaptiſtarum furias non ſine ingentibus tuis & adeò totius Vueſtphaliæ dãnis Monaſterij excitata periculoſior fuit & Religioni Chriſtianæ & Rebuſp. tantum non in extremum naufragij diſcrimen per hos maris fremebundi truces ſcopulos adductis, Tanto ſanè rerum à te geſtarum gloria præclarior & excellentior eſt, qui Deo auſpice tuorum dexteritate Conſiliorum, & ui armorum ita eam diſſipaſti, imò funditùs extirpaſti, ut poſthac repullulaſcere non facilé unquam poſſe uideatur. Nam etſi quædam for-

taſsis alicubi huius nefariæ coniurationis reliquiæ in angulis ſuis tenebricoſis ſupercilio depoſito metu latentes, & more ueſpertilionũ ulularumq́; lucẽ reformidantes ſupereſſe putantur: tamen flagitioſo hoc & temerario facinore ui bellica diſcuſſo, de fortunæ fœlicioris ſucceſſu aliquo non modò planè deſperant, ſed ne mutire quidem quicquam te uiuo audent. Præſertim cum animaduertant pace iam recuperata & rebus diuini cultus & ſcholis inſtaurandis per te uiam latè pãtefactam eſſe. Habet enim hoc efficaciæ ſibi proprium heroica uirtus, dum res humanas tam politicas quàm ſacras in officio publicæ utilitatis iuuandæ gratia retinere ſtudet, ut aduerſarijs quantumlibet minacibus, magnis & potentibus timorem uel ſolo aſpectu incutiat. Atque hæc ſunt demum ſola ueræ nobilitatis inſignia, quæ animi magnitudine Iuſtitiam Lucifero clarius in orbe fulgentem domi foriſq́; propugnante conſtat, non quæ tumido diuitiarũ faſtu, purpura & Oſtro, gemmis & auro, inſanis domorum ſubſtructionibus, caballorum ſtrepitu, inanibus titulis & Maiorum imaginibus inflata uulgo ſeſe uenditat. Siquidem hoc beneficij genus, olim cum ſuus adhuc uirtuti eſſet honos, nec eius locũ uitia phaleris palliata occuparẽt, apud mortales etiã ueræ pietatis expertes in magno precio fuit. Nec profectò aliundè Nobilitas habet ſuam

originem, dum illis generoſis hominibus, qui tali magnitudine animi præditi uel Cõſilijs uel manu Reſp. magnis tempeſtatibus laborantes uarijs periculis liberarunt, maiora præmia donata, auguſtiores nominum tituli, magnificentioresq́; honores & triumphi præ cæteris à communi populo publicè decreti ſunt. Hinc tot ἐγκώμια *magnorum uirorum paßim in Bibliothecis extant: qualis apud Hebræos quidem Moſes ille Aegyptius dux populi Iſraëlitici, Ioſue Nuniades, fortis Sampſon, Iudas Machabæus, & alij è Scriptura omnibus noti: apud Ethnicos uerò Hercules ille Tyrinthius, Hector Phrygius, Achilles Theſſalus, Themiſtocles Athenienſis, Camillus & Scipiones Romani, & ſimiles innumeri, quorum uirtutes & illuſtria facta ſacræ prophanæq́; priſcorũ temporũ hiſtoriæ nobis clarè proponunt. Hodie mundo ſeneſcente & ad finem ſuum uergente præter caducarum & fragilium fluxarumq́; opum ſplendorem & pompam, quibus fugitiuæ uoluptatum illecebræ fouentur, è quibus tot ingentes exoriri ſolent ærumnæ: nihil admiratur humanum genus ueterno quodam ſuo ſtupidum. Vſqueadeò ætas ſubinde degenerans obbruteſcentibus uitio animis peruertit ſana hominum de rebus iudicia. Quanquam autem hic motus omnis generis horrendarũ calamitatum, quas nemo uir bonus citra magnum animi dolorem memi-*

niſſe nedũ commemorare poteſt, plenus eſt, Tamen totam rem apud me exactiùs reputans non committendum duxi, ut incuria mortalium, & iniuria temporum tam inſignis clades, & tam dira Eccleſiæ peſtis ſilentio præteriretur, & tua laus, quã in ea fœliciter ſedãda meritò cõſecutus es, è memoria hoĩm, (ſi modo id de me polliceri poſſum) unquam deleretur. Apprimè enim & pietati, & humani generis ſocietati conducit, tum uirtutum, tum uitiorũ Exempla, illarum quidem capeſſenda & amplectenda, horum uerò abominanda, fugiendaq; omnibus ob oculos perſpicuè uelut in ſpeculo poſita eſſe. Nã ut ratio noſtra licet contagio propaginis peccato corruptæ cõtaminata ſit, & per affectus conſultores peſſimos à ſeipſa nonnunquam ualde diſcedat, nihilominus immania odio proſequens auerſatur flagitia, Ita uirtus pulchritudine ſua quoad fieri poteſt cognita, teſtataq; mentes noſtras efficaciùs quàm ulla incantatio, & tanquã Cæcias nubes, ut uulgo dicitur, ad ſe inuitat, allicit, & quodãmodo trahit, longè maiores ſui amores in animis excitatura, ſi clara oculorũ acie & externo uiſus ſenſu, quo nullus eſt in corpore humano acutior, natiua illius facies manifeſtè cerni poſſet. Quemadmodũ Socrates ille, homo alioqui Ethnicus, ſed philoſophus, meo quidem iudicio, neutiquàm contẽnendus, & tãtus uir Athenis. & in

tota

tota Græcia habitus, ut Apollinis Delphici oraculo ſapientiſsimus omniũ mortalium fuerit quõdam, ut aiunt, iudicatus, in eo Platonis Dialogo, *qui* φαίδρος *inſcribitur grauiſsimè, ut cætera oĩa, hac de re diſputat. Cuius uerba cũ neſcio quid plus* Energiæ *& uiriũ in lingua* Græcis *uernacula prolata habeant, & ſupra modũ elegantia ſint, nõ piget me hîc aſcribere:* ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. καὶ τἆλλα ὅσα ἐραστά. *Id uerum eſſe nobis tum quotidiana* Exempla, *tum certè omniũ gentium hiſtoriæ certiſsimi teſtes ſunt, quas omnes hîc recenſere cùm & prolixum & tedioſum fuerit, paucas ſaltem attingam.* Non *immeritô magnificè prædicata eſt* Romæ *cum inſignis illa mulierculæ pietas, quæ patrem Cimona fame in carcere necandum ſuis uberibus clàm aluit, tum uerò illius, quæ matrem ingenui generis fœminã crimine à prætore dãnatam & triũuiro, ut eã ſtrangularet, traditã ſuis itẽ mãmis pauit.* Nã Præſes *cuſtodiæ cũ eã à triumuiro puniendã iuſſus accepiſſet, humanitate, miſericordiaq; erga ſexũ infirmiorem tactus, nõ ademit ilico miſeræ uitam, ſperans fore ut breui fame, cibo omni ſubtracto periret, nec filiæ quã* στοργὴ *illa*

φυσικὴν magnoperè mouebat aditũ ad matrem prohibuit, ſed diligenter excuſſæ, ne quid edulij ſecum ad illam adferret. Verum cum ille non parum miraretur mulieris uitam nullis dapibus ſuſtentatã indies diutiùs protrahi, uoluit rem miraculi tam ſtupendi propius cognoſcere, quam certò compertam confeſtim triumuiro, is prætori, Prætor Conſulibus aperuit. Qui certiores de tota re facti, communis Iudicij decreto filiæ pietate moti mulierem non iniuria crimine abſoluerunt. Neque uerò uirtutis hic ſplendor pulcherrimus & ſtellis Cælo ſereno micantibus longè clarior, ſed non ſatis nobis tenebrarum caligine tectis uiſus, tantùm homines bene natos, rectè educatos & honeſti amantes mouere ſolet, ſed etiam Phalarides, Dionyſios & Nerones, in quibus tamen Rationis ſcintillæ non modò ſopitæ, uerum planè extinctæ putantur: idq; per malas affectiones ad praua, ut ingentis tempeſtatis turbo nauem in mari aliò rapit, mira ui huc & illuc trahentes. Hoc exempla Tyrannorum, & quidem crudeliſſimorum tum in poëtis hominibus ſapientiſſimis, tum uerò in Hiſtorijs fide dignis commemorata nobis non obſcurè declarant. Nota eſt Damonis & Pythiæ Pythagoreorum, & Dionyſij tyranni hiſtoria, quam M. Cicero libr. Officiorum 3 recitat. Thoas homo immaniſſimus Pyladis & Oreſtis ſummam amicitiã uirtutis

tutis decore ductus magnopere probauit, & fide al terius in alterum cognita, ambos grauibus antè capitalis ſupplicij pœnis deſtinatos non ſine magna laude liberos impunè dimiſit. Tantùm ualet in hominū animis natiuum illud uirtutis decus, quod licet per umbrā in tanta naturæ corruptione animaduerſum, mirum dictu quàm noſtra pectora in ſui quendam amorem, ueluti uitiorū turpitudo in ſui odium, conuertat. Quapropter etſi non ignorarem, quàm mei ingenioli fundus exiguus, & quàm imbecilles meæ uires & præcipuè tantæ ut atroci, ita profectò uariæ rei deſcribendæ impares eſſent, Tamen operæprecium me facturum eſſe exiſtimaui, ſi quoquò modo poſſem, quaſi per tranſennam, ut Prouerbio dicitur, Carmine Elegiaco re etiam paulo altiùs non ſine conſilio repetita, hoc memoratu dignum regni Monaſterici facinus, & quidem rudi Mineruâ adumbratum ſtudioſæ pubi legendum darem, ut nimirùm & immanis facti fœditatem deteſtetur, & tuam laudem Princeps optime in hoc eradicādo omnibus perſpicuam laudibus perpetuò extollat. Nec tamen inficias iuero quod in confeſſo omnibus eſt, cum & pleniorem orationis ſonum atrocitati rei reſpondentem tota hæc uero Tragœdia nomine dicenda, Cothurnoq; magis accommoda poſtulét, uel Tragicis uerſibus uel Hiſtoriæ proſa oratione hoc argumentū

longè melius commodiusq; & deſcribi & tractari poſſe. Itaq; cũ potiſſimum non deſint utriuſque rei perſpicua, cum Græcorum tum Latinorum Authorum Exempla, profectò nõ dehortarer ſtudioſos adoleſcentes, qui præclaro ingenio, multijuga eruditione, integráq; ualetudine florent, ut in hæc intuentes hinc aut Tragœdiam ſuis numeris conſtantem, aut Hiſtoriam cauſas rerum altiùs ueſtigantem, & uberiori quodam dicendi genere tonantem, non malè ſuam collocaturi operam accuratiori diligentia contexerent. Hîc autem uociferabuntur forſitan scioli quidam uitilitigatores præter decorum eſſe rẽ Theologicam tam altam & grauem, quam hîc attingi planè neceſſe eſt, leuioribus Carminum modis agi. Sed faceſſat hæc nugaciſſima calumnia, ex mera rerum ignorantia in animis imperitorum nata, & peſſimo hominum iudicio & conſuetudine confirmata. Quaſi uerò Muſæ & ποιητικῆς facultas Eccleſiæ, pietatis & omnium uirtutum pediſſequæ eſſe non debeant, & nobis omnia dona & animi & corporis ad hoc unum non tribuantur, & nomen harum, quas ueteres Græci finxerunt, ſororum aliud ſint, quàm ſignificationes cognitionis naturæ rerum, per quas Deus agnoſcitur, quin & apud priſcos ijdem & ſacerdotes qui poëtæ fuerunt. Neque enim alius poteſt eſſe uerus omnium artium

tium uſus, quàm ut gloriæ Dei, ædificationi Propheticæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, & hominum ſocietati per has inſeruiatur. Quare ego, etſi haud quaquam hoc nomen agnoſco, in hanc omnino malui peccare partē, ut quiduis potius in me deſyderaretur, quàm huius horribilis Sphingis conatus Chriſtianorum ſaluti & Rerumpub. tranquillitati inſidiantes depingendi quouis modo diligentia. Quo æquiores mihi uerè eruditos, & adeo bonos omnes fore certò ſcio, quòd facile intelligent me id quidquid eſt lucubrationis non inanis gloriæ ſeu ambitionis neq; φιλαυτίας cauſa, ſicut nec odio aliorum quaſi animo Timotico ſuſcepiße, ſed potius ut Chriſtianæ Religioni, & hominum conſortio, quantum quidem in me eſſet, prodeſſem. Alios autem homines βαναύσους καὶ γαστέρες, hoc eſt, uentris mancipia ab Euripide Poëta Tragico rectè per Cyclopem non alium Deum, quam ſuum Aqualiculum agnoſcentem deſignatos, quibus ut nulla ueritatis inquirendæ & admittendæ cura eſt, ita tantum meliorem mentem dari optandum eſt, ſi in calumniam quædam fortaßis ſibi placentes uocabunt, cum ſit ἀεὶ μωμήσασθαι ῥᾴδιον ἢ μιμήσασθαι, nihil in uniuerſum moramur, & gratum mihi facturi ſunt, ſi quid melius in ea re ipſi ſuo Marte elaboratum in medium protulerint. Præterea non

eſt quiſquam mortalium quamlibet impudens & arrogans Thraſo ille fuerit, qui ueré dixerit ſe mihi occaſionem & anſam huius flagitij perſcribendi ſuis laboribus præbuiſſe, cùm ego ante triennium totam hiſtoriam à me carminibus confectam tuæ cenſuræ & iudicio Princeps ornatiſſime, cum Eſſendiæ negocij cuiuſdã cũ illuſtriſſimo Cliuorũ Duce trãſigẽdi mihi nõ ignoti gratia eſſes, nõ ſine graui cauſa, ſubiecerim. Porrò totius rei ſummã, initia, cauſas, progreſſiones, occaſiones & circunſtantias partim ex manifeſta eorum confeſſione, qui tanquam prophetæ in alias Vueſtphaliæ ciuitates à nouorum Hieroſolymorum rege miſſi, totam rem quæſtionibus ſubiecti antequam extremo afficerentur ſupplicio, Magiſtratui patefecerũt, didici, partim uerò ex certis & fide dignis hominibus, qui & pars earum rerum uel inuiti fuerunt, & hæc ut quæque geſta erant, paucis annotarunt. Item tui proceres & belli duces à parte tua ſtantes, quos ferè ſingulos diligenter conſului, in hoc mihi non parùm contulerunt. Vrbis autem expugnationem ab ijs qui non ſolum negocio interfuerunt, ſed etiam rei gerendæ præfuerunt, collatione eorum, quæ uulgò à multis, ſed uariè & cõfuſè referebantur, non negligenti adhibita, poſtquam eius rei cauſa ter Monaſterium equitaſſem non ſine negocio, quà fieri licuit, accepi. Nam

non ita diu à tanto Metropolis Vueſtphalicæ motu illac curru longis itineribus morbo laborans dum præteruehor, quietus dedita opera cognoſcendi huius negocij tam portentoſi gratia, in diuerſorio octo manens hebdomadas hæſi. Siquidem tunc temporis ad Cliuenſes, non ſine celeberrimæ cuiuſdam Academiæ literis ad Gogreuium Iuliacenſem Cãcellarium ſcriptis, proficiſcebar, ut ibi conſtitutis gymnaſijs literarijs, Natali ſolo, & amicis, in primis uerò Eccleſiæ, quæ uera eſt omnium piorum patria, & non aliter quàm parens complectenda, cui me natũ putabam, pro mei talenti modulo totis uiribus inſeruirem. Quæ ſpes etiamſi me omnino fefelliſſe uideri poteſt, quòd non tantùm Mars quo iure quaq; iniuria Muſis prælatũ ſit, uerumetiã quòd ciuitates aut nõ ſatis intelligere negocij magnitudinẽ, aut intentæ rei familiari augendæ & uoluptatibus nõ magnoperè curare uideãtur, Tamẽ uel ſexenniũ uniuerſum ſuſpirijs ex intimo corde ductis, ſollicitudine et ſumptu meo non exiguo rẽ urgere non deſtiti, nẽpe ut hæc horrenda portenta & tam noxia ab Eccleſia catholica per ſanam doctrinam teneris puerorũ animis inſertam, auerterentur, præſertim cum ex Scholis bene inſtitutis rerum omnium humanarum ſumma reuerà pendeat. Quod enim gratius Deo, opus ullum? quod rebus hominum utilius officiũ poſt tot

meas

meas per Europam duras peregrinationes & diffi-ciles ſtudiorum labores ualetudinis meæ per acer-biſsimam febrim afflictæ curam agens præſtare ob-ſecro potuiſsem? Cæterùm dum ingens temeritas ne dicam malitia motus Iuliaci (cuius diſſuaſorem acer rimum me fuiſſe teſtantur cum mea ad Illuſtriſsimũ principem Gulielmum ſcripta, tum uerò mea quoti diana cum omnibus primatibus uiris colloquia) mihi hunc conatum è manibus ui abſtrahit, ut animus tæ-dio leuaretur, & ne ingenio torpendi anſa prabere-tur, nunc huc nunc illuc uectus hæc quaſi refocillan di me, & omnes uitæ caſus fortiter perferendi gra-tia inter tot monſtra uulgò uagantia & furioſos ho-minum ſtrepitus tumultuaria opera conſcripſi. Idq́; non hoc quidem animo, quod in alios cum ſtomacho debacchari, aut eorum uitam ullo pacto deformare mihi in uitia non in perſonas inuehenti libeat, cùm & id prohibeat Chriſtiana charitas, & illi ſumma potiùs miſeratione, quàm inſectatione digni ſint, ſed ut quicquid pium & honeſtum eſt, ſuis laudi-bus extollamus, ornemus, & ſuſcipiendum omnibus perſuadeamus, contrà uerò quod à pietate alienum & turpe eſt reprehendamus, ſuggillemus & exe-cremur. Hîc enim ut alijs pluribus exẽplis luce me-ridiana clarius apparet, quomodo miſerrimum ho-minum genus Adami & Euæ primorum parentum

ab im-

ab immundo ſpiritu hoſte filij Dei CHRISTI prauo aſtutoq; per ſerpentem blanda & rationi humanæ conſentanea loquenti deceptorum miſero(proh dolor)lapſui obnoxium , in omnia horrendorum flagitiorũ genera quaſi furibundũ,cæcumq; impulſu diabolico mirabiliter ruens prolabatur . Hinc tanta hominum ſeditioſorum ab initio conditi orbis multitudo,Caini,Dathani, Abirones, Abſolones & alij in populo Iudaico non pauci, in quatuor Gentilium Regũ Monarchijs innumerabilis turba extitit. Item tot & tam uariæ apud omnes Nationes ἀδωλομανίαι & abominandæ ſuperſtitiones & ſacra , in quibus uel humanæ hoſtiæ Exemplo Abrahami temere aſſumpto,immolabãtur. Ad hæc tot hæreſiarchæ poſt CHRISTVM natum aduerſus Eccleſiam Arrij,Pelagij, Marciones, Sabellij, Chiliaſtæ, Photini, Manichæi, Neſtorij, Anabaptiſtæ,& quis omneis enumeret ſectas ? ſua ipſorũ,inſidiatore dæmone,ſapientia demẽtati inſanierũt. Vnde factũ eſt,ut nõ tantũ foris ſeditiõibus,cædibus & bellis, uerumetiam intus dogmatis in ſpeciẽ bonis & ſalutaribus Eccleſia CHRISTI oppugnaretur , & labefactaretur uera fides & cultus Dei, & inductis in animos hoĩm nebulis lux ueritatis obnubilaretur . Nã princeps ille mũdi Sathanas generis humani ἄσπονδος ἐχθρός ab initio & mẽdax & homicida,ut hiſtoriæ cũ oĩm

gentium

gentium tum præcipuè ſacræ ab exordio rerum à Deo conditarum ad hanc miſerrimam uſq; ætatem apertè teſtantur, promiſſiones diuinas & hoc tantū ſalutis æternæ donum, quod credentibus per uerbū diuinitùs offertur, atroci odio & ſummo nocendi ſtudio flagrans nobis inuidet, & perpetuò uerbum è cordibus non ſatis fide munitis, ne ſalui fiant homines auidiſſimè rapit. Neque enim quicquam minùs ferre poteſt, quàm miſerabilis huius & infirmæ carnis & ſanguinis maſſæ corda per peccati originalis culpam, & adeò prauas omnis generis cupiditates ab ipſa fœtus in utero materno conceptione & natalibus in hoc orbe omnium malorū pleno excæcata, luce ueritatis Euangelicæ gratuito Dei optimi Max. beneficio per CHRISTVM IESVM cœlitùs à patre in terras, ut eſſet unica pro peccatis noſtris uictima, miſſum, rurſùs illuſtrari, & in priſtinum integræ conditionis ſtatum reſtitui. Quare principio per mirabiles aſtutias ſua mendacia ſpecie pietatis phalerata & Rationi maximè placentia hominum mentibus clam inſpirat, quibus ſenſim admiſſis & in uulgus ſparſis ipſe demum effuſis omnibus inferorum furijs, omnibus machinis & uiribus adhibitis mira arte & improbitate omni momento tanquā leo rugiens homines adoritur, eorum animos arietibus oppugnat, tundit, fatigat, & improbitate tādem uincit,

uincit, quò ſurſum atq; deorſum omnia miſcens miſerandis cædibus repleat, & Religionem ueram, ſyncerum Dei uerbum & Sacramenta ſalutis æternæ certa pignora Eccleſiæ ſponſæ CHRISTI rugis, maculaq; carenti excuciat, & animas unà cum corporibus ad interitum ſempiternum ſecum in Tartara uictor abſtrahat. Quod adeò uehementiùs agit, ubi regnum ſuum uerbo Dei ex tenebris humanorũ dogmatũ, quæ miſeras mentes excæcare ſolent, reducto, non parùm hodie oppugnari callidus conſyderat. Quocircà excitat ille iam paßim homines ambitioſos & inanis gloriæ cupidos, opumq; & uoluptatum amantes, qui miro regnandi deſyderio & libidine (quæ peſtis hominum animis penitùs inſidet) tanquam Choragi ſuam fabulam, & id quidẽ plærũq; prætextu religionis non ſine detrimento facultatum, corporum & animarum rudis plebeculæ non exigua Euangelio CHRISTI ſcandala Mundo præbentes, peragant. Huc cõfeſtim τῶν ἀθεῶν, ocioſorum, ignauorum & obæratorum hominum fex ſpe magnarum rerum prouocata, ardens ſuis utilitatibus & corporis commodis conſulere, & ſuis affectibus fuſiùs frena laxans indulgere, cum auiditate confluit, & paulatim contemptis Legibus & Magiſtratuum authoritate, omnia politiarum uincula Reipub. magno malo furibunda diſrumpit, & quod in aliis improbat,

probat, ſibi mira uafricia, miris technis aſcribit & in ſe transfert. Hinc *regnũ iſtud Vueſtphalicũ tam prodigioſum, tantorum malorum gurges, & immanis hæc hominum laniena prodijt. Quæ ſanè in Mundo permiſſu diuino fiunt omnia, quò probentur tali ratione Electi, & ut de calice furoris domini, ut Scriptura loquitur, impij cõtemptores bibant.* Namque *pro eo, quòd dilectionem ueritatis non ſuſcceperunt ad hoc ut ſalui fierent, mittit eis Deus efficaciam illuſionis, ut credant mendacio, iudicẽturq́; omnes qui non crediderunt ueritati, ſed approbauerunt iniuſtitiam, ut* D. *Paulus non minus piè quàm uerè 2. ad* Theſſal. *ſecundo ſcribit.* Et *Roma.* 1. *Palàm fit ira* Dei *aduerſus omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, qui ueritatem in iniuſtitia detinent. Sed ita fieri talesque exoriri & uagari per orbem furias peccatorum pœnas neceſſe eſſe teſtantur prophetiæ &* Danielis *& aliorum ſanctorum uatum & Apoſtolorum, qui de ultimis Mundi temporibus diuini Spiritus pleni ſunt quondam uaticinati. Præuidet enim hæc Deus futurorum præſcius per hominum malitiam, oſcitantiam & impietatem ſic euentura eſſe, & ſuis cultoribus præcipuis ad Electorum doctrinam & conſolationem mirabilibus modis aperit.* Hoc, *ut interim alia omittam omnia, quæ noſtro tempore ſunt omnibus manifeſtiſſi-*

ma

ma, ſubijcit oculis noſtris horrendũ illud & immanè Mahumetis illius Arabis, in Aſia & Africa, necnon citrà inſuper latiſſimè patens Imperium, quod certè ſuum initium ſimili de cauſa, qua hoc Anabaptiſticum regnum habens, nimirùm è uarijs Hæreticorum Sectis, & inprimis Neſtoriana & Arriana, ut rectè Methodius prædixerat, principio quidem exiguum, ſed paulatim ueluti incendio conflagrans in immenſum creuit. Tantum refert diuinæ Scripturæ dogmata omni humano fermento ab eis longè ſemoto diligenter legi, intelligi & tradi in Eccleſia. Verùm hodie ut omnia ſunt κενοδοξίας, auaritiæ, ſocordiæ, uoluptatum, & adeò peſſimarum opinionum plena, Ludi Literarij & Eccleſiæ non ſine maxima rerum humanarum ruina planè negliguntur. Iuuentus imprudens, omnibus naturæ uitijs obnoxia, ſine ulla morum diſciplina & Maiorũ reuerẽtia, indies magis ac magis more brutorũ animantiũ adoleſcit, rudis populus ſuo ſtupore humanis traditionibus ſuperſtitioſè inhærens, Verbo gratiæ Dei, paſtoribus interim ſtertentibus, aut genio & uoluptatibus operã dãtibus, deſtituitur, fame laborans de qua Amos propheta loquitur. Immittam eis famem non panis, ſed audiendi Verbi. Atqui hæc & ſimilia exẽpla perterrefacere & monere nos omnes debebant, ut reiectis omnibus Idololatrijs,

ſolo diuino uerbo lucerna in his plus quàm Cimmē
rijs Mundi tenebris clariſſimè micanti, & nobis per
filium ſuum unigenitum æterni patris gloriæ ſplen
dorem, & expreſſā ſubſtantiæ imaginem, & in quo
eſt theſaurus ſcientiæ & ſapientiæ, plenitudoq; di-
uinitatis corporaliter inhabitans, intimos mentis er-
ga filios affectus aperienti, totam noſtram uitam ex
animo cum timore & tremore, cumq; ſolida fide per
charitatem efficaci precibus ad eum per CHRI-
STVM IESVM *mediatorem, & propiciato-*
rium noſtrum dies noctesq; in Spiritu ſancto fuſis,
quaſi milites in acie armis muniti fortiter carni re-
ſiſtentes inuito Cacodæmone, & eiuſdem membris
conformaremus. Veriſſimum enim eſt quod maxi-
mus ille philoſophus & ſacerdos Aegyptius Hermes
non immerito τρισμέγιστος *cognominatus pietatē,*
hoc eſt ueram cognitionem & cultum Dei *in terris*
inter mortales eſſe ſolum bonum affirmat, cum ſic
inquit. μία φυλακὴ εὐσέβεια, εὐσεβοῦς γὰρ
ἀνθρώπους οὔτε δαίμων κακός, οὔτε εἱμαρμέ-
νη κρατεῖ. θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἔτι παν-
τὸς κακοῦ. τὸ γὰρ ἓν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις
ἀγαθὸν εὐσέβεια. *Sic &* Paulus 1. Timoth. 4. *ait*
pietatem ad omnia ualere. Hæc uerba illi qui uolūt
eſſe (debent autē omnes uelle) capitis CHRISTI
membra, & præſertim Magiſtratus, Reges *&* Prin
cipes,

cipes, qui habent Religiones in manu diligenter perpendere, & ſuo animo inculcare & infigere debent, cùm Deus ſeueré puniat & æternis & temporaneis pœnis ſui contemptores, & ingentia præmia uerê pijs, ſicut in Lege teſtatur, tum uiuentibus adeoq; eorum poſteritati, tum poſt hanc uitam benignè reddat. Quemadmodum & Theocritus Siculus Poëta Bucolicus nõ minùs eleganter quàm uerè hoc uerſu aſtruit:

ἐυσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ᾽ οὔ.

hoc eſt poſteri piorum bene, impiorum uerò ſecùs habent. Iam ſi Ethnici homines aliquo modo iſta animaduerterunt, qui tamen per ſapientiam ſuam Dei ſapientiam capere non potuerunt, cum ratio humana peccato originis corrupta ſit, quod iſti penitùs ignorabant, & citra cognitionem promiſſionum diuinarum de CHRISTO intelligere uerũ Dei cultum nequaquam potuerunt, quod & Plato his uerbus ſatis agnoſcit: θεὸν μὲν ἐυρεῖν οὐ ῥάδιον, γνῶναι δὲ ἀδύνατον, facile intelligi poteſt, quid nos præſtare debeamus, qui Dei beneficio & Verbum habemus, & Chriſtiani uolumus dici. Siquidem cũ in hoc naſcamur omnes à Deo creati, ut primum illi conditori noſtro ſuam gloriam per omnem uitã noſtram omnibus & animi & corporis uiribus tribuamus, Deinde, ut patriæ, parentibus & ordine per

ſuos gradus amicis, & in ſumma toti humano generi ſuo quiſque in ſtatu omnibus ſtudijs inſeruiamus, dare operam, manibus pedibusq; conari, & adeo in hanc unam curam omni tempore, tota mentis cogitatione & induſtria incũbere debemus, ut audita per CHRISTVM *Dei uoce ipſius uoluntati humana ratione & ſenſibus ſopitis non multitudine aut potentia impiorum, nec capitis noſtri à* Mundo *contempti humilitate offenſi, nos ſubmittamus. Quo enim callidiorem & potentiorem habemus hoſtem, eo acriùs nobis orandum, diligentiùs uigilandum, & uehementiùs gladio ſpiritus, quod eſt* Verbum Dei, *pugnandum eſt, quò ut difficilimæ, ita pulcherrimæ &* Deo *gratiſſimæ uictoriæ largius præmium omnibus legitimè certantibus propoſitum aliquando frementibus aduerſarijs* Diabolo *& mẽbris hilares accipiamus.* Neque *uerò conantibus deerit ille mentiri neſciens, qui ſe promiſit nobiſcum fore uſq; ad cõnſummationem ſæculi, quiq; tam potens dominus eſt, ut ei genu flectere cæleſtia, terreſtria & infera cogantur, & dominetur in medio inimicorum, quos nõ ſecùs quàm formatam è uili luto teſtam fragilem uno momento, uel* ἀπονητὶ *confringere queat.* Quamobrem *illius uoluntas inprimis gnauiter inueſtiganda & bene cognita, perpetuò mordicùs obſeruanda eſt, ut* Religionibus *diuinarum Scripturarũ*

non temerè nobis à Deo traditarum authoritate con ſtitutis, uſq; ad IESV CHRISTI *æterni Regis & ſacerdotis noſtri reditum, ut pijs lætum, ſic malis inuiſum, in hoc ſæculo omnium miſeriarum, calamitatumq́; pleno, ſaluti noſtræ conſulentes caueamus ne fermenta hominum, & talia monſtroſæ molis portenta unquam in* Eccleſia *oriantur. Quod cum faciemus, Deum uera pietate, hoc eſt, ſpiritu & ueritate adorare, & pro tot & tantis tam animi quàm corporis beneficijs præter omne noſtrũ opus & meritum nobis exhibitis gratiarum actionis perpetua laude proſequi poterimus. Quod* Franciſce *heros ornatiſſime & pietatis amantiſſime, cum nuper abs te pro tua ſumma erga omnes beneficentia humaniſſimè tractarer in* Aula *tua* Monaſterienſi, *necnon* Iburgi *&* Mindæ *pro tua uirili te conari animo hilari uiderem, non parum ſenſi me inflammari ad quendam tui amorem: non tam quòd erga me omnibus modis benignus & liberalis eſſes, quàm miro pietatis ſtudio te teneri conſyderarem. Nec mehercule aliá cauſa præter eam, quam prius dixi, me magis huc impulit, ut carmẽ iſtud qualequale iã antea à me rudi Minerua inceptum, quantum quidem per ualetudinem ſanè perquàm imbecillem liceret, abſoluerem, & ſub tui nominis auſpicio, tutelaq́; aduerſus omnium Sycophantarum morſus fœliciter*

 in ma-

in manus hominum exire multis rogantibus, imò & cogentibus permitterem. Quanquam adeò cuinam alij mortalium magis hoc conſecrare conueniebat, quàm ei qui non modò propter horribile iſtud Cata baptiſtarum regnum, ſeu potiùs hominum furioſorum colluuiem magna rerum omnium damna, ſumptus & diſpẽdia fecerit, uerumetiàm ingentes labores, curas & ſollicitudines unus propè ſuſtinuerit, & adeò conſilijs & manu, Deo adiuuante, dies no ctesq; uigil huius Seditionis tam arduæ magna cum laude uires fregerit? Memineras enim haud dubiè naturæ ductu & liberali doctrinæ inſtitutiõe quod Homerus fons & poëtarum & philoſophorum omnium uberrimus.grauiſsimè lib. Iliad. 2. dicit οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Quod tem pore nocturno cum iam corpus aliquo ſomno rigatum, refocillatumq; eſt, ſenſus noſtri ſint longè puriores, & ad aliquid intelligendum, conſultandumq; uegetiores. Qua quidem in re, eo plus ueræ laudis, famæ, nominisq; celebritatis conſecutus es, quo labor hic tuus difficilior & Lerneæ iſta belua grauior, peſtilentiorq; rebus mortaliũ fuit. Neque enim paruum & Eccleſiaſticæ rei, & Tranquillitati omniũ poteſtatum totius orbis Europæi minitabatur hic motus exitium. Quod tu longè diu antè præuidens nequaquàm ullis humanis conſilijs cauere potuiſti, ſed tan-

ſed tandem cum malitia Deo *permittente iam imple ta eſſet, cum bonorum omnium ſollicita expectatione, lætitiaq́;,& improborum hominum dolore, fremitu & indignatione confringendo ſuſtuliſti; & tã ſtudijs literarum inſtaurandis, quàm Euangelio* CHRISTI *propagando iter non incommodũ tuæ Ditioni & finitimis ſtrauiſti.* Quo *profectò opere nec gratius* Deo *aliud ullum, nec rebus humanis utilius à principibus uiris &* Eccleſiarum *præſidibus præſtari unquam poteſt, quod faxit* Deus *pater domini noſtri* IESV CHRISTI, *ut tibi & toti* Vueſtphaliæ *tuæ perpetuo fœlix, fauſtumq́; ſit.* Nã *pax omniũ donorum, quæ* Mundo *diuinitùs conceduntur poſt ſynceram in* CHRISTVM *fidem, præſtantiſſimũ eſt.* Huius *enim præſidio, uera erga* Deum Religio, Legum *autoritas in precio haberi,* Iura *dici, uirtutes in flore eſſe, crimina puniri, connubia legitimè contracta in honore ſeruari,* Iuuentus *bonarum artium cognitione & bonis moribus inſtitui, uulgus in officio retineri, denique res humanæ omnes rectè gubernari poſſunt.* Carolus *ille non iniuria cognomento* Magnus *deuicto* Vuidechinᴐ *quodam perito ſanè & ſtrenuo bellatore* CHRISTI *dogma* εἰδωλολατρίαν *omnem per pios concionatores ſuos ſubuertens olim in tota* Vueſtphalia, Saxoniaq́; *plantauit.* Tu *uerò longè maius opus*

præſtas, quando non ſolum cum Idololatris tibi res eſt, ſed cum ſeditioſis Hæreticis & ijs quidem numeroſis, quorum conatus euertens non modò fidem à Carolo *plantatam integram, illibatamq; conſeruas, uerumetiam eraſo, quoad fieri poteſt, fuco, qui huc longo temporis proceſſu per aſtutiam Sathanicam, & hominum ignauiam irrepſit, corrigis & in priſtinum nitorem reſtituis. Quod certè monimentum aërijs Aegyptiorum* Regum *pyramidibus longè altius, omnibus amphiteatris à Cæſaribus extructis durabilius,* Lucul*leis ædificijs ſplēdidius, omni ære & auro perennius, omnibus gēmis clarius eſt, quod nec imbrium, nec uentorum maxima ui inter ſe certantium tempeſtas ulla, nec annoſa temporum uetuſtas unquam ſubuertere poterit. Etſi uerò præclara lumina,* Exempla*q; uirtutum præſertim fortitudinis, quæ magis rebus in propatulo geſtis in hominum oculos incurrit, per ſeſe nota ſunt,* Tamen *illa* Literis *fidelibus memoriæ humanæ imbecillis ſanè theſauris mandata, & quoquo modo oſtenſa, longè plus lucent & efficaciora ſunt in animis, & ad imitationem parabiliora, promptioraq; exiſtunt. Cùm autem meus in te amor & erga* Eccleſiam CHRISTI *ſtudium pati non poßet hos* Anabaptiſtarum *furores ſilentio præteriri, & tantum hoc tuum decus ex rebus fortiter & utiliter geſtis quæſitum,*

tempo-

temporibus obliteratum iri, uolui potiùs rude hoc & incoctum carmen in lucem proferre, quàm omninò committere, ut meæ propenſæ tibi gratificandi uoluntatis, & utilitati publicæ ſeruiendi non extaret apertum apud omnes teſtimonium. Accipe igitur princeps clementiſsime hanc primam mei ingenij fœturam adhuc informem, opusq́; illaboratũ, quod mihi ſubitaneo quodam calore, & quadam properandi uoluptate fluxit, exciditq́;, loco qualiſcumq; literarij pro tuo candore & ſumma facilitate, munuſculi, non quidem quale tum rei tantæ atrocitas poſtulabat, tum tua dignitas merebatur, quis enim hoc præſtet? ſed quale meæ uires & facultas ingenioli pro ſua exiguitate hoc tempore præſtare potuerunt. Si quid autem aliud maius, præſtantius, honorificentiusq́; unquam tuæ amplitudini procudere potero, quod gloriæ Dei illuſtrandæ, ornandæ'que, & Eccleſiæ CRISTI *promouendæ idoneum futurum ſit, equidem, quantum in me erit, lubens id fecero. Deus te nobis quàm maximè longæuum, & ſemper fœliciſsimum eſſe uelit.*

Coloniæ pridie Pentecoſtes,
Anno D. 1546.

Præfa-

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

HOS tenues hilari cape Lector fronte Libellos
Candide, ſyncera quos tibi mente damus.
Si furor his maculam Liuoris inuſſerit atram,
Hanc tuus ingenuo diluat ore fauor.
Nec uitio u rtas quòd ab arte recedo parumper,
Nec reor exiguos rebus obeſſe modos.
Nā quibus hæc fuerant numeris referenda, futuris
Vatibus haud dubium ſtrauit Homerus iter.
Altiſonusq́; graui Maro maieſtate Latinus,
Cui leuior cedit Græcia tota uiro.
Sed nimiùm paruæ mihi uires, rebus & impar
Ingenij tantis lumen & artis erat.
Febris & uſquè meas ita torret acerba medullas,
Mens nequeat uoti compos ut eſſe ſui.
Totaq́; cùm ſibi res curam meditantis acutam
Flagitet, hinc capitis debilitate uetor.
Quin opus hîc lachrymis potiùs tuſtis'ue querelis,
Omnia quòd magnis ſunt cumulata malis.
Nec temerè uideor morem renouare uetuſtum,
Quo data luctiſonis eſt Elegeia modis.
Si mihi non Siculis turgeſcit pagina gerris
Splendida, nec uanos iactitat arte Deos,
Diraq́; nec ſtolido fingit portenta furore
Omnia, quæ nunquam uita tuliſſe queat,

At ge-

At geſtas aperit tibi res rabidoſq́; tumultus,
Et ſtudium ueri non phalerata capit.
Noſtra Iouis nugas ueterumq́; peroſa Deorum,
Muſa colit nomẽ, lux mea CHRISTE, *tuum.*
Haud mihi fama pari petitur cum laude perennis,
Nec mihi quæritur his nomen inane modis.
Quòd uerò Liber hic ruit immaturus in auras,
Conſilij ratio certaq́; cauſa fuit.
Hunc mea per luſus incuria fudit, habentis
Hei malè dum curam corporis hoſpes ago.
Dum uehor huc illuc reſona nunc debilis unda,
Nunc ualidus carro, nunc magis aptus equo.
Quem reuocata Deo ſi quando uolente retundet
Incus, malleolis terſior omnis erit.
Difficilis labor eſt ſibi par ſeruare decorum,
Res ubi perſonas tot ſemel una capit.
Quæ patet expatians latis uberrima campis,
Vt dubites animo quæ quibus anteferas.
Non ſecùs ac dubijs ubi menſæ fercula cœnis
Lauta uides, tantùm fertilitatis habet.
Quid uarijs autem referam de floribus, altis
Quos uelut in cœlis aſtra nitere decet?
Dicitur ornatè quod honeſtè dicitur, apto
A rebus petitur uerus honore decor.
Forſitàn eſt ubi plus neruorum cauſa requirat,
Sicubi res plenos poſtulat alta ſonos.

Eſt ubi

Eſt ubi uel ſtylus hic ſibi plus indulgeat æquo
Luxurians freno liberiore uagus.
Nil tamen obſcuri, quo carmen honore tuebor
Iſtud habet; clarum quem tenet ordo facit.
Maxima perſpicui uirtus ſermonis habetur,
Rebus ut & uerbis gratia, lumen erit.
Hoc igitur facili ſine lima carmine factum,
Et rude quæſo boni conſule Lector opus.

ARGVMENTA DECEM LIBRO-
rum.

Pingitur Vrbs Primo cũ moribus ardua Gẽtis.
Et cauſas motus habet & fomenta Secundus.
Tertius eſt Vrbis defectio uisq; furoris.
Præſulis in Quarto res obſidione trahuntur.
Quintus init primam pugnã, Rex ſceptra capeßit.
Regis habet ſtudium Sextus cædesq; cruentas.
Septimus alterius memorat fera fulmina pugnæ.
Octauo Regni uires totius habentur.
Vrbs capitur Nono, meritas dat Regia pœnas.
Deſcribit Decimus prauam cum dogmate Sectam.

Motus

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER I.



Mnibus iſta fero populis memoranda per orbem
Doctor, & in primis facta nefanda pijs.
Quò facinus cũctis tam deteſtabile notum
Sit quibus eſt aliquis Relligionis amor.
Seraq; condemnent furioſos ſæcula mores,
Et fugiant tantum pro pietate nefas.
Nam cano Vueſtphalicã modicis pro uiribus Vrbẽ,
Armis quæ ſocijs diruta penè fuit.
Ob noua quæ grauiter meritis oppreſſa ruinis
Regna iacent Dominis exitioſa ſuis.
Principis hæc magno Franciſci clara labore
Qui tenet hoc Sceptrum gloria parta uiget.
Dic, agè, muſa, precor, mihi ſemina prima tumultus,
Quo tot cæſa fero millia Marte ruunt.
Quis, rogo, mẽtis inops ſcelus hoc meditatus acerbe
Prima fuit tanto turbine cauſa mali?
Quis graue flagitiũ queat hoc feciſſe, quis Author?
In genus hæc hominum crimina tanta cadunt?

Non

Non puto, nec per ſe mortales talia uolunt,
Noſtraq́; non tantùm corda furoris habent.
Aſpice quò miſerum ueteri pro fraude malignus
Spiritus humanum pertrahat ille genus.
Abripit hic Verbum medijs de cordibus almum,
Et nequit excelſi dogmata ferre Dei.
Mox ruit, armat, init, prohibet, ferit, excitat, arcet,
Territat, angit, obeſt, perfurit, inſtat, habet.
Non agitat ferias, nec in aurem dormit utramq;
Securus fidei cuius agatur opus.
Sed grauis ob Chriſtũ nos quæritat hoſtis IESVM
Eſuriens Pœnus qua Leo fronte ſolet.
Aſpera qui curſu Libyæ deſerta peragrat
Quærens quas auido deuoret ore feras.
Hoc retrahi priſcam reuirentis ſemina Verbi
Omnibus in lucem tempore ſancta fremit.
Aggrediens miſeros ſua per mendacia fallax ”
Ille cruore madens nos homicida petit. ”
Concitat addictos furiali mente miniſtros, Duo opera diabolo ꝓpria. Iohan. 8.
Et ſua quæ pleno robore membra tenet.
Hinc fera Seditio turbis comitantibus atris
Omnia commiſcens munia pacis agit.
Sæuaq́; Marte truci cum cædibus orta cruentis
Bella fremunt uarijs ſemper in orbe locis.
Vrbs eſt Vueſtphalidos terræ celeberrima rebus
Omnibus, hæc Graio nomine dicta uenit. Μοναστήριον

Quod propè noſtra negãt tibi dicere carmina, nãq;
Vix capit exiguos dictio longa pedes.
Hanc niſi Munſterum mutilata dixero uoce,
Quæ quoq; Germanis ſic ſatis apta ſonat.
Arx antiqua fuit, Gentes tenuêre prophanæ,
Nomina quæ CHRISTI non coluere pij.
His procùl exactis Monachiſmi more legentis
Sacra, fit hæc celebris Relligione domus.
Tempore magnorum numero creſcente bonorum
Amplius hic cœpit ſplendor habere decus.
Capta loci bonitate ſuas & figere ſedes
Hîc ſtudet & patrios ponere turba lares.
Paulatim Leges grauis & Romana Senatus
Cæſare ſacra pio iura probante capit.
„ Namq; Magiſtratus res noſtras ſeruat, & apto
„ Legifer humanum more gubernat opus.
„ Hic benefacta ſuo dignatur honore, ſed idem
„ Pœnis digna ſuis crimina cuncta uetat.
Longaq; ſic iuſtam poſt tempora creuit in Vrbem,
Et tenuit nomen uoce manente uetus.
Floret ut hæc fama populoq; beata frequenti,
Sic habet immenſas prouida ſemper opes.
Robore quòd reliquas & nomine uinceret Vrbes
Vueſtphaliæ, hanc meritò profuit eſſe caput.
Nec minor eſt Carolus ſũmis quas Quintus honeſtis
Legibus atq; armis Cæſar in orbe regit.

Præcla-

Præclaros tenet ipſa ſitus & digna per amplos
Circuitus magnis ſunt loca delitijs.
Hic quoties uernas Aries tepefecerit auras,
Quale refert uiridi terra nitore decus?
Nubifero Phœbi ſenſim redeunt is ab Auſtro
Omnia uiuifico lumine fota uigent.
Hic uideas paßim tumidas turgeſcere plantas,
Et tenera nitidum fronde uirere nemus,
Vndiquè ſubijciens folijs ſua germina lætis
Luxuriat ramis arbor opaca uagis.
Mœnibus in plano patet Vrbs ſubnixa rotundis Situs urbis.
Ingens, & ſtabili conſociata ſitu.
Sic tamen ut paulò tumulis aßurgat in Auſtros
Ardua, & ad Boream pendeat ima grauem.
Alta micant longè ſaxis conſtructa uetuſtis
Firmaq; per magnum mœnia circuitum.
Hæc ſimul aggeſti ualido cum robore cœni
Hinc foris, hinc intùs terrea maſſa tegit.
Arte latent factæ cæco ſub tegmine portæ,
Quæ uarijs tendunt ad loca tecta uijs.
Arcubus inductis turritis ore per orbem
Mœnibus anguſto crebra feneſtra patet.
Cornigeri tota uigiles ibi nocte frequentes
Præſulis excubias iuſſa potentis agunt.
Seruantur fidis aditus cuſtodibus omnes,
Sub quibus Vrbs portis clauditur iſta decem.

Abdita per turres cum puluere Machina belli eſt,
Flammiferos uaſto quæ uomit ore globos.
Aſpera dependet cataracta ſub omnibus altis
Turribus, ærato non ſine dente minax.
Quò ſi fortè per has animoſus tranſeat hoſtis,
Obruat hunc caſu maſſa reuulſa ſuo.
Introitus triplici portas munimine firmas
Roborat, & clauſtris limina dura tegit.
Haud procùl hinc alto tumet ingens aggere moles,
Omnia quæ ſtatuit corpore tuta ſuo.
In ſummo ſeries uallorum uertice longa eſt,
Tortile quos ſtringens uimen in arcta trahit.
Hancq́; lacus ſtabilem gemini facientis utrinquè
Bina ſuo cingunt ſtagna profunda ſitu.
Piſcibus iſta cibos præbent, in putribus atram
Garrula ſub noctem rana coaxat aquis.
Labitur & fluuius modicis licet atrior undis,
Quas lento ſtagni more nigrantis agit.
Sed loca cùm uocitent omnes campeſtria nuſquàm
Iſte nec admittat nautica, riuus erit.
Nominat hunc populus peregrina uoce, quòd iſti
Alpha fluuiolus. *Alpha ſuum nomen litera Græca dedit.*
Prouenit à Phœbi ſolio, ſed euntis ad imos
Occaſus, medium fecit ut ille diem.
Atq́; fluens placidè mediam ſic diuidit urbem,
Vt faciat riuis hæc loca læta ſuis.

Deuehit ille graues nocituras tempore ſordes,
Et ſinibus gignit commoda magna ſuis.
Omnibus incuruis quia tardi flexibus Alphæ
Squammigeri uulgó copia piſcis ineſt.
Hîc nodoſa cadunt dulces in retia carpi,
Piſciuoroq; rapax Lucius ore ruit.
Corpore non diſpar longis Anguilla colubris
Lubrica ſub cæco gurgite tecta latet.
Nec minùs hîc iuxta limoſas undiquè ripas
Octipedes cancros fertilis unda parit.
Anſer, anas, & olor ſtreperis hîc quærere roſtris
Pabula, præda quibus creſcit in amne, ſolent.
Lætus utrinquè ſuis ueſtitur & alueus herbis
Vere nouo, crebris antè rigatus aquis.
Hîc fragiles cannæ, leuis ulua, paluſtris arundo
Enodis ſimili ſcirpus honore uirent.
Alphaq; diductis riuis contenta profundis
Huc illuc foßis marcida ſtagna replet.
Auget hyems undæ uires pluuioſa, flagranti
Aeſtas ſubtenues torrida ſole facit.
Ni pluuias capiens largumq; repleta per imbrem
Nubibus elapſis multiplicetur aquis.
Hîc & aues circa ſepes cannaſq; frequentes
Dum uernant, tenui carmina uoce canunt.
Fluctiuagus uaria tremulis uice deuolat alis
Mergus, & à facto nomina uera trahit.

Nunc liquidi ſummam perſtringit gurgitis undam.
Nunc procul in gyros ſe reuolutus agit.
Clamat iò tenebras reuehenti ueſpere ſeras
Cùm tenet excelſæ culmina pauo domus.
Vulgò pulchra ſibi tenet Vrbs pomaria, pandit
Vere nouo uirides arbor amœna comas:
Purpurei redolent flores ſpirantibus auris,
Educunt placidum gramina multa caput.
Dulciſonos iſtic uolucres effundere cantus
Sæpe ſolent, nidos ut poſuere ſuos.
Suaue canens uariat carmen Philomela canorum,
Floriferi ſentit ueris ut eſſe dies.
Eſt locus Aegidij portæ uicinus & Alphæ,
Quà medio pronus ſol abit ipſe die.
Si calor eſt, umbram faciunt aggeſta per aptas
Ligna ſtrues, hyemis flamen & illa uetant.
Hunc pueri ſimul & Muſæ ſtudioſa iuuentus,
Cùm uacat à ſolito læta labore, petunt.
Aut hìc continuis agitatur turbo flagellis,
Aut pila ſublatas concutit alba manus.
Aut globülis petitur contortis ſphæra rotundis
Ferrea ſub ſolidum ui priùs acta ſolum.
Huc ſpaciās concurſat eques quoq; creber aquatū,
Cum ſtrepero celeres agmine ducit equos.
Hos agit in uarios per frena prementia gyros,
Et docet hos greſſus conglomerare ſuos.

Annua

Annua ſub uernum facit hîc certamina tempus,
Præmia uictori uina bibenda parat.
Hîc tremula corpus ſub luce coruſcat, ut aptè
Iam iuuenile caput caſsis ahena tegit.
Armato longis in equo concurritur haſtis,
Excipit inſultus uiribus umbo graues.
Hîc ubi diſſoluit flagranti Sirius æſtu
Corpora, per gelidam pellitur ardor aquam.
Nam puer aſsiduè dubia leuis innatat arte,
Et penetrat lympham ſuauiter Alpha tuam.
Illa fluens urbem muris ingreſſa ſub imis
Efficit obliquos multiplicata lacus.
Hîc rapidæ confuſa molæ dant murmura, quando **Molæ aquariæ.**
Ingenti ſtreperas ui rapit unda rotas.
Hacq́; duas numeres incluſas urbe per ipſum
Fluuiolum, tantùm uoluitur una foris.
Tres & uiginti ſed habet pro mœnibus illa,
Quæ tumulo cunctis æditiore patent.
Flatilium longo ſeries micat alta molarum **Molæ flatiles.**
Ordine circundans mœnia tota ſuo.
Has rapidus uaſtum uentus contorquet in orbem,
Linthea cùm ualido flamine paſſa rapit.
Proruit huc illuc ſcalis caua machina denſis,
Ingentem duplex uoluit ut ala crucem.
Omne latus crebro compingitur aſſere quadrum,
Sed medio totum corpore robur habet.

Scanditur hæc multis gradibus, ſtat maſſa farinæ
  Hîc niueæ certis accumulata metris.
Vectaq; per magnos carris frumenta caballos
  Quælibet iſtarum comminuenda capit.
Cumq; grauant humeros geruli exonerantis onuſta
  Plauſtra uiri magno pondere terga premunt.
Saxea mox agitans uaſto ſub corpore moles
  Dum crepitat lapſu conterit illa graui.
Hasq; gubernator partem deflectit in illam
  Commoda flaminibus quò uocat aura ſuis.
Spectat ad occaſus ſublimis ianua ſeros,
  Cùm Nabathæus agẽs commouet Eurus aquas.
Si Zephyrus ſuaues tepidasq; ſulutifer auras
  Occupat, Aeoum proſpicit illa ſolum.
Horridus imbriferos Boreas hanc uertit in Auſtros,
  Flantibus his partes hæc Aquilonis habet.
Deſinit euolui cùm uentus in orbe reſedit,
  Noctibus & nigris ipſa quieta manet.
Detrahiturq; capax cæcis uenientibus umbris
  Velum, ne raptum turbine frangat opus.
Néue trahens pluuiam madido putreſcat ab imbre,
  Néue rapina queat furibus eſſe malis.
Sæpe tamen noctes agitur reuoluta per atras,
  Dum medio ſpirat murmuris aura modo.
Commoda grata bonis redeunt hinc ciuibus, altis
  Haud minor hinc muris gratia parta uenit.

Eminus apparent altis radiantia criſtis
Phana per inſignes ædificata locos.
Summaq; coctilium tectorum culmina, fulget
Area non lati quà bene longa fori.
Eſt domus hîc auguſta uiris celeberrima ſummis,
Quæ trahit à dandis nomina conſilijs. Curia.
Conuocat huc miſſo cunctos præcone Senatus,
Quos ſibi conuentus urbs populoſa petit.
Hîc uàriæ dubijs cauſæ de rebus aguntur,
Verba ſonat totum litigioſa forum.
Vt prior accuſat uerbis ferus actor acerbis,
Sic reus &, quo ſe mox tueatur, habet.
Cumq; ſuo fatur modò blanda cliente patronus
Omnis, & huic cauſam ſpem facit eſſe bonam.
Explicat & Leges conſultus Iuris apertè
Ambiguas, ratio quatenùs ipſa docet.
Quid fas mortales miſeros iubeatq; uetetq;,
Anxia quò pietas non mala corda uocet.
Noſtra quid in rebus dictet mens alta gerendis,
Iuraq; quid liciti Cæſariana ferant.
Publica priuatis quo diſtent limite, quidnam
Quod fieri ſolitum moribus illud agat.
Cauſidici certas formant ſcribæq; tabellas,
Quæ rata confirment teſtibus acta notis.
Nam propè iudicium cauſæ cenſura Libelli
Pragmatici, ceu mos nunc inoleuit, habet.

Quilibet hac tandem litis ratione forenſis
Ius aliquo retinet, quod fouet ipſe, modo.
Tollitur è medio Legis rigor omnis acerbæ,
Quod placidæ cauſa pacis amanter agunt.
„ Nam cum ſummum ius iniuria ſumma ſit, æqui
„ Iudicibus ratio iuris habenda uenit.
„ Viuaq; lex quàm muta bonis moderantibus orbem
„ Præſidibus debet maius habere decus.
Sic tamen ut bona ſint ſua iuſtis præmia, prauis
Pœnæ criminibus quas meruere ſuis.
Hîc ſunt Iuſtitiæ ſtudioſi, & pacis amantes,
Nec trepidæ curam ſeditionis agunt.
Aſtutas Iudex ſtudet hinc explodere fraudes,
Recti dicoq; malos detegit ore dolos.
Aſtat & immenſa plebes glomerata corona
Expectans litis iura ferenda ſuæ.
Hîc odioſa patet Siculis Aſtræa Tyrannis
Sub geminis penſans lancibus acta ſuis.
Illa tenet rigidam ueteri ſub imagine frontem
Apparens uultu tota uetuſta ſuo.
Vltima nam quondam fugiens modò liquerat umbrã
Illa ſui, ueram cernere nemo poteſt.
Hinc tua cum flexo referes ueſtigia greſſu
Ad loca ſub modico peruia facta ſacro,
Area lata patet ueſtita uirentibus herbis
Callibus exceptis, quos pede turba terit.

Vrbe patet media templum ſublime, docendì Sedes nobilium canonicorū
Verbi Tharſenſis dux tibi Paule ſacrum.
Etſi non optas fieri tibi talia, Verbo
Templa Dei ſedenim creſcere uiua cupis.
Hoc ſibi perpetuo modò floret robore firmum,
Et ſuperat multis grandia ſaxa modis.
Non cœli, non ulla Dei res condita Verbum
Non homo corrupta pro ratione capit.
Quo nihil hæc melius rerum natura, nihilq́;
Totius hæc Mundi machina maius habet.
Hoc tibi ſi ſtatuas imo de pectore, quamq́;
Sit Dominus, guſtes, ſuauis & uſquè bonus,
Huic citò poſthabeas Alyatica regna beatus
Plus ſatis, & cunctas quas fouet orbis opes.
Aes, domus & fundi, quantumlibet ardua menti
Et bona ſordebunt uilia cuncta tuæ.
Præterit hæc cœli facies terræq́; mariſq́;, „
Sed tua perpetuò dogmata CHRISTE manent. „
Magnus deuicto Carolus procùl hoſte prophanum Carolus Magnus.
Hinc armis populum diſpulit ille pijs,
Omnia deſtruxit falſis Idola remotis
Cultibus, & CHRISTI nomina noſſe dedit.
Cæſare Veſtphalicas Ludgerus agente per urbes Diuus Ludgerus
Seq́; loci primo Præſule doctor erat.
Sed Phriſij poſt hæc Gens his contermina Templi
Huius ſtructuræ dona tulere ſua.

Hi pateris fuluum numerant ingentibus aurum,
Argentiq́; manu pondera magna ferunt.
Lanigeræ pecudes & equi cum bobus aguntur,
Largaq́; compreſsi copia lactis adeſt.
Hæc hodie ſpectes depicta coloribus alto
Cuncta loco, Gentis nomina murus habet.
Rhodolphus Langius. *Nomina murus habet, quà Langius ille Rhodolphus*
Conditus in gelida ritè quieſcit humo.
Candida conſtringunt hoc ſaxa decentiùs, & quo
Eminet in tota pulchrius urbe nihil.
Huc homines aditus inuitant quinq; patentes,
Quattuor ancipiti dictus honore chorus.
Hoc teretes ornant magno ſplendore columnæ,
Strata iacent nitido ſaxa polita ſolo.
Omnia ſunt ueneranda ſuo quæ robore totum
Conſtituunt, tectum plumbea maſſa facit.
Eſt locus imbriferū nitidus qui ſpectat in Auſtrū,
Hîc agitat cauſas Liniger ordo ſuas.
Ad Zephyrum quadris cono radiante figuris
Stant geminæ turres, æra ſonora tenent.
Eſt aliud quoq; contiguum, quod uergit ad Arctos
Antiquo dictum nomine Tumba uetus.
Inter utrumq; ſacrum cunctis patet ambitus, in qua
Corpora uitali lumine caſſa iacent.
Et lapis exculptus, ſub quo ſopita quieſcunt,
Appoſito tempus nomine mortis habet.

Aut

Aut breue, ſi tollas modicè tua lumina, muro
Auratis uideas carmen ineſſe notis.
Hîc & gymnaſion ſedes digniſſima Muſis Scholæ.
Stat bene diſcretum pluribus omne locis.
Nam Schola per doctos ſemper celebrata Magiſtros
Floruit, & magni nominis illa fuit.
Clarus Iohannes inprimis lumine mentis Iohannes
Aelius, ut tanti muneris arma gerit. Aelius.
Craſſe tuis iſtum pueris Camenere ſuperſtes
Præficis, & ludi frena tenere iubes.
Totq; uiros inter magnos ita fulget, ut unus
Faſces cum ſceptro gymnaſiarcha gerat.
Hic animis cultor iuuenes linguisq; politos
Reddit, & ob cauſam miſcet utrumq; grauem.
Hæc duo iuncta ferunt humanis optima rebus,
Si fuerint eadem diſſociata, nocent.
Moribus in primis mens informanda probatis,
Inde colenda ſuo Lingua nitore uenit.
Sancta gubernandæ rigidis incumbit habenis
Cura iuuentutis non ſine laude uiro.
Tradens iudicio grauis omnia cenſor acuto
Elimat ueteres quæ docuere Sophi.
Atque pijs uerſans diuina uolumina curis
Diſcipulis aperit dogmata ſacra ſuis.
Vitaq; doctrinæ reſpondet honeſta, quòd ipſe
Quicquid id eſt magna cum probitate facit.

Vt lu-

Vt labor eſt ingens, ita laus retinere tenellas
Quò uigeant mentes, ſemper in officio.
„ Eſt nihil humanis in rebus honeſtius ipſis
„ Virtutum ſtudijs utiliusq́; nihil.
„ Sed iacet, ut nunc ſunt homines, ars omnis & omnis
„ Virtus, & longè pluris habentur opes.
Altera Martini ſub amœna condita ualle
Occupat arcta locos æde patente ſacros.
Hîc reſidens preſſo numeroſa corona ſedili,
Perſtrepit & ſurdo murmure cuncta replet.
Hic legit, ille canit, notum ferit iſte ſodalem
Læſus, & impacta uerberat ora manu.
Excitat ingentes alius clamore tumultus,
Atque, ſolum ſtrepitu contremat omne, facit.
Garrulitas, luſus, non deſunt iurgia, pugnæ,
Quæq́; ſuo peragit cuncta calore puer.
Tertia poſt aliquot collapſa refloruit annos,
Proxima Ludgero quam ſibi terra fouet.
Iohannes Murmellius. Hîc iuuenes poſitis quondam Murmellius armis
Perdocuit magna non ſine laude ſuos.
Ingens exeruit ſe gloria nominis illic,
Dum uarias doctæ protulit artis opes.
Ingenium bello ſibi fecit acutius acri,
Plurima dum peragens Martia facta uidet.
Sed bene cum ſecum reputaret utrunq;, relictas
Acrior ad Muſas mox redit ille ſuas.

Maluit

Maluit in pulchris placidarum ludere ſyluis
Pieridum ſtudij ſedulitate pij,
Quàm precioſa ſuæ diſperdere tempora uitæ,
Quæ celeri curſu non reditura uolant.
Hoc cunctas doctore bono ſibi Vueſtphalus artes
Hauſit, & his pulchrè culta iuuentus erat.
Sic & rem nitidis aliquam ſibi repperit armis,
Et maior chartis gloria parta fuit.
Nam bene fœcundum rebus fuit omne repertis
Pectus, & exactè ſermo politus erat.
Illud enim tantùm plenè facit eſſe diſertos, "
Quos ſolida rerum cognitione fouet. "
Lingua ſed in liquidas fœti bona pectoris auras
Aedit, & has magno lumine promit opes.
Qui uolet ignotis de rebus multa referre,
Hic dabit ingentes, ſed ſine mente, ſonos.
Et labor & fruſtrà fuerit res cognita cuiquam,
Omnia qui prompto neſciet ore loqui.
Hic hominum mores longè lateq; colentum
Telluris uarias uidit in orbe plagas.
Nec puduit multas didiciſſe fideliter illum
Linguas, quæ multùm commoditatis habent.
Ignotæ pariunt atras mortalibus umbras,
Lux quibus expulſis clara redire ſolet.
Præcipuè Græcos facit ad rem quærere fontes, "
Et ſermo rerum quicquid Hebræus habet. "

Hoc

Hoc hodie tantùm titulo tenus hei fit, acerbi
Eſt fuga ſudoris magnus honoris amor.
Hic aliqua Sophias Lectorem dicit in urbe
Et ſe Linguarum prædicat eſſe trium.
Ille rudis Linguæ ſibi pergræcatur, acute
E Graio uerſus ſic Strabo fonte uenis.
Scriptaq; ſuffurans aliorum uenditat arte
Hac ſibi per titulos plurima turba ſuos.
Ponitur à multis nullo ſudore uel una
Vocula, quò Græcos protinùs eſſe putes.
Cùm tamen hæc primis uixdùm primordia labris
Guſtarint, ruditas tam ſibi ſumma placet.
Hic uerò magnis idioma laboribus iſtud
Perdidicit, Muſæ quo remanente uigent.
Deniq; uel cunctas uigil iſte reuoluerat artes,
Humana poſſunt quæ ratione capi.
Noſſet ut ad quaſnam traheret natura ſuapte
Sponte, nec id cuperet quod minùs eſſe queat.
„ Notitiæ ſtultus quicunq; reſiſtit apertæ,
„ Nec colit ingenij ſemina prima ſui.
„ Quicquid enim facias ſtudij pugnante Mineruа,
„ Hac ingens operam luſerit arte labor.
Hinc tibi ſunt propriæ uires priùs experiendæ,
Sarcina quàm tergum deprimat ulla tuum.
Grandia nemo petet nimis altæ pondera molis,
Qui ſapit ignotum nemo ſubibit onus.

Quod ſi parſißet ſtudijs mors inuida cœptis,
Ingenio quantum laudis ineſſe queat?
Quantum nunc rigidi florerent inde Sicambri,
Geldria ſi tali picta colore foret.
Orbe nec eſſet in hoc urbs te celebratior ulla,
Quæ trahis à mundo nomina rure tibi.
Sed ſecùs eſt uiſum crudeli pollice Parcis,
Nomina quæ planè commoda rebus habent. **Parcæ.**
Nam miſeris parcè uitam mortalibus iſtam
Diſtribuunt, breuius qua nihil eſſe uides.
Abripiunt hominem ualido ſub flore uigentem,
Cùm fera feruenti corda calore tument.
Siue per inuidiam, petit hæc quòd ſumma, ſuſurris
Imbrifer alta ſuis culmina uentus agit.
Seu rata quòd fixo ſic tempore fata ferebant,
Hauſta necant tantum dira uenena uirum.
Nunc, à quo paulùm calamus deflexit, ad illud
Ipſe uia rurſùs proſperiore redit.
Si petis iſta ferè fulgentia limina Pauli,
Quà patet ad Phœbi mane micantis equos:
Ad dextram ſubitò primam progreßus in ædem,
Nobilis eximium proſpicis artis opus. **Horologij deſcriptio.**
Singula quod certis rapidi diſcriminat anni
Tempora momentis, ordine quæq; ſuo.
Vt proprio per quod Sol agmine ſydus oberret,
Signa gubernat equis cùm duodena ſuis.

Septẽ planetæ.

Aſtra tenet ſeptem uaga, quos dixêre planetas
Graij, quòd uarium mota uolumen agant.
Tempore Saturnus uideas quo regnet iniquus
Partubus, & curua corpora falce metat.
Iuppiter humanas mitis res fautor inauret,
Et foueat gremio ſemina cuncta ſuo.
Quæ fera crudelis miſeris mortalibus hoſtis
Mars rutilo ſplendens fulmine bella ferat.
Cur aliquandò ſequens, cur nunc comitantia Solem,
Lucida nonnunquàm præferat ora Venus.
Antipodumq; colens terras Cyllenius imas
Lumina uix nobis conſpicienda trahat,
Quòd uerô Phœbus primas & Luna ſecundas
In Tabula facie lucidiore tenent,
Hoc ideò factum, quia noſtris lumina rebus
Hæc duo præ reliquis commoda magna ferant.
Et magis excellant ea uiſo corpore, necnon
Cætera Legiferis motibus aſtra regant.
Ille dies ortu reuehit fons lucis & annos,
Temperat & radijs cuncta creata ſuis.
Hæc uaga ui ſplendens aliena luce ſopores
Suadet, & obſcuræ tempora noctis agit.
Hinc poteris uires aſtrorum noſcere, ſi ſit
Cognita per partes res tibi tota ſuas.
Certa recens natis horoſcopus omnis agendæ
Signa notans uitæ cognitus omen habet.

Quò tibi, cùm primos uagitus fundis in auras,
Stella trahat Geneſis ſemina prima tuæ.
An malè tunc dederint poſitos ſe duriter ignes,
An potiùs fauſto ſe tenuêre loco.
Ad læuam ſumma ſtat homuncio paruulus arce,
Qui breuius cornu ſemper in ore tenet.
Momentis quoties elapſa fluentibus hora eſt,
Inflatur tumidis buccina parua genis.
Tantiſper reſonans huc ſeſe uertit & illuc,
Dum dederit numeris ultima ſignã ſuis.
Aſtat & huic coniunx faciem pulcherrima, paruum
Cui manet in dextra malleus uſquè manu.
Hoc ea, cùm poſcit tempus, ferit æra uiciſſim
Fuſa, fit hinc tota clarus in æde ſonus.
Indicat & medias idem canor æditus horas,
Dum facit officium uir mulierq; ſuum.
Nec minùs adiecto ſtatuæ ſub tegmine plures
Occluſo cunctis lumine ſæpe latent.
Nam ſemel hæ toto ſolùm reteguntur in anno,
Quando Magis ſolita eſt ſacra redire dies. Magi.
Magna quibus patrijs Orientis euntibus oris
Cura fuit Solymi quærere rura ſoli.
Immenſas iniere uias per ſaxa, per undas
Viſuri faciem, ſpes mea CHRISTE tuam.
Fulgida luce pijs ſeſe dat Stella uidendam
Illuſtrans radijs inferiora nouis.

Nos docet Exemplum *ſeruandas lumine Gentes,*
Quod Deus à proprio miſit ad ima ſinu.
Non *ſolùm* puer *hic* Iud*æis naſcitur, una*
Omnibus iſta datur gratia tanta, fide.
Hæ ſimulac pius ille dies aduenerit, omnes
Ordine dant nato munera grata Deo.
Filiolum cum prætereunt Mariamq; *ſalutant,*
Demittunt humeros corpora parua ſuos.
Atque genu Numen *flexo reuerenter adorant,*
Dextris geſtantes quæ precioſa ferunt.
Munera Magorũ. *Aurum, Thus, myrrham* T*elluris dona Sabææ,*
Myſtica quæ CHRISTI *munia rite notant.*
Nam regem fuluum dubio procul indicat aurum,
Thura ſacerdotem, myrrha & amara crucem.
Hic pia magnanimus forti rex corda gubernat
Imperio frangens duriter hoſtis opes.
Robore delictum proprio mortemq; perennem,
Regnaq; deuicit dæmonis atra mali.
Humano placidus generi per uota ſacerdos
Ipſe Deus miro placat amore Deum.
„ *Inter & hunc & nos Mediator ſolus habetur,*
„ *Omnia qui propria crimima tollit ope.*
„ *Pro nobis patitur ſub acerbo funere mortem,*
„ *Vt uitæ gratis lumen habere queas.*
Id tibi nec ſtudij uires, mihi crede, nec ullum
Humano factum robore præſtat opus.

Sed

Sed graue per legem cognoſcens crimen & iram
Quiſq; Dei ſanam debet habere fidem.
Hæc opus inde bonum parit omnibus utile quotquot
Chriſtiadæ uero nomine dogma fouent.
Quo pia per ſacros ſolanti pectora ritus
Accepto colitur laudis honore Deus.
Sic micat artificis ſtructura ſtupenda periti,
Vt procul aſpectans corpora uiua putes.
Illuſtratorum diuino Numine Vatum
Effigies ſaxi ſculptile uulgat opus. **Imagines propheta rum.**
Mirificum ſanctus facit iſtud Spiritus, uno
Vt multi poßint ore futura loqui.
Hinc latus ad dextrum cum nomine Gentis imago
Cuiq; Sibyllarum picta colore fuit. **Sibyllæ.**
Addita quinetiam ſua ſunt his uera puellis
Carmina, de CHRISTO quæ cecinêre pio.
Sed ſtatuas ueterum pars huic diuerſa Sophorum
Læua tenet, nomen candida charta docet.
Inſignis ſua quemq; uirum ſententia monſtrat,
Quam capit aſcriptis alba Tabella notis.
Cætera prætereo, mihi quæ iucunda relatu
Pingere, ſi præſens res pateretur, erant.
Ambitus ornatis Diuorum ſternitur aris,
Et mutis totus ſplendet imaginibus.
Has populus luſtrans ignarus dogmatis almi,
Grata ſuas iſtuc munera portat opes.

Splendida ceriuoris lucent altaria flammis,
Circus odoriferi flamina Thuris olet.
Vitra per aptatas ſplendeſcunt crebra feneſtras,
Vnde locus claræ plus ſibi lucis habet.
Nobilibus tantùm locus hic conceditur illis,
Vrbs quibus iſta ſuum non dedit una genus.
Nec quibus ingenuas mens eſt exculta per artes,
Et ſtudij titulus nomina magna facit.
Moris ut eſt hodie, ius arbitriumq́; creandi
Præſulis, hos tantùm nunc penes eſſe ſolet.
Sacrificis diuiſa ſuis, ſed adhæret eiſdem
Sedibus ipſa ſitu Tumba uetuſta ſuo.
Prætereà duo phana ſacris manifeſta legendis
Vitæ perpetuò cœlibis eſſe patet.
Illud eques Martinus habet, ſed Epiſcopus iſtud
Ludgerus, manibus qui ſua templa gerit.
Non procùl à portis ambo, micat iſtud ad Auſtrum,
Illud habet Boreæ flamina ſæua trucis.
Canonicorũ Collegia. Sic tibi quæ placidam pariunt Collegia uitam,
Quattuor hæc ſpacijs urbs tenet una ſuis.
Sed ſibi Mauritius geminis cum turribus ædem
Extra urbem Quintam ruris amator habet.
Iuncta foro medium Lamberti phana propinquo
Pauli è conſpectu conſtat habere locum.
Aegidius ſolium Phœbi, Seruatius ortum,
Iſte remotus ab hinc, ille propinqua tenet.

Solis ad occaſus Mariæ ſtat turris ut undas
Tranſieris, urbis ſic tibi forma patet.
Vrbs Parochos ſeptem, quibus inſtat cura gerendi **Parochiæ.**
Verbi cœleſtis lumina clara, fouet.
Cœnobia aptatis aliquot conſtantia ſaxis **Domicilia Monachorum.**
Coctilibus tollunt longius alta caput.
Aptius inſertis fulgent Emblemata lignis
Exiguas ductu conficiente cruces.
Hic cineris fuco pallentis ſacra Minores
Et cincti torto corpora fune canunt.
Sunt & Iohannis cultores ordinis, ipſa
Crux quibus haud penetrās corpora ueſte manet.
Et Cataphratte tuos hac paſcis in urbe Georgi,
Chriſtophoro qui par forſitan eſſe potes.
Et ſibi quos faciens Hieronymus ille probatos
Docto diſcipulos ore diſertus habet.
Liberior longè reliquis ea ſecta uirorum,
Ritibus aſſiduis quos ſua uota ligant.
Nam neque tam temerè ſeruam ſeſe abijcit, illo
Quin liceat lecto cedere ſæpe loco.
Hæc ueteris tantùm Monachiſmi forma relicta eſt,
Quem Baſili tanta laude probare ſoles.
Artibus aut pueros & honeſtis moribus ornat,
Aut hanc ingenua ſuſtinet arte labor.
Cui pius eſt ſimilis propè Pollinctorius ordo,
Qui bene Chriſtiadis utile munus obit.

Perpetuo longè reſonant hæc omnia cantu,
Seu faciunt noctes ſydera, ſiue dies.
Maiori ſedenim ſuperos dignentur honore,
Tractarent ſtudio ſi ſacra uerba pio.
Collegia mulierum *Bina colunt ſanctos collegia plena puellis*
Virginibus, ſteriles quas fuga uiſq; facit.
Nam poſtquam rigido ſemel obſtrinxêre pudori
Per iuſiurandum uotaq; dura fidem,
Sponte ſua paucæ, complures Legibus actæ
Sollicita curas uirginitate premunt.
Omnibus eſt miſeris ſpes charæ prolis adempta,
Nec matres longæ poſteritatis erunt.
Hoc tenet Aegidius, tenet illud uirgo tuendum,
Caſta ſed & CHRISTI *mater honeſta Dei.*
Non de plebe ſibi nymphas id quaslibet, alta
Sed modò quæ ueniunt nobilitate capit.
Cætera prætereo prudens, Seruatius ut quas
Vix ſeruat poſito cum grauitate iugo.
Blanda pater uox eſt, rapit hanc amor intimus, illa
Sæpius ut rebus congruat iſte facit.
Rem nitidis faciunt diuinam ritibus, atq;
Suauia ſubtili carmina uoce canunt.
Sed quia non capiunt cœleſtis iuſſa parentis,
Hæ dubia miſeræ Numina mente uocant.
Eheù quò redigit CHRISTI *ſacra fucus eorum,*
Qui ſua mendica crimina ueſte tegunt.

O homi-

O hominum genus ignarum pietatis & expers
Illius, in nobis quam Deus eſſe iubet.
Ille fidem ſolidam, uerum quoq; mandat amorem
Inter nos, ueras poſcit & ille preces.
Præcipit infundi ſacram baptiſmatis undam
Nobis, qua geneſin ſpiritus ille nouat.
Et cœnam fracti pro nobis corporis almam
Tradit, & effuſi ſanguinis ille ſui.
Et ſibi perpetuas perſolui pectore laudes
Ex imo, donec iudicet orbis opus.
Gaudia quò ſanctis tribuat uitamq; perennem,
Flammiuomasq; cruces & ſine fine malis.
Vos facilis ritus urgetis opuſcula, nulli
Commoda, quàm quibus hinc lauta culina uenit.
Aut mentis furor eſt ſimulatæ peſtifer, aut eſt
Quàm ruditas aliud ſanctio ueſtra nihil.
Vana ſuperſtitio, ſacris damnata Libellis,
Nedum diuino iure probanda uenit.
Hoc omnes ſancti ſemper uetuêre prophetæ,
Hoc prohibet CHRISTVS Religionis apex.
Sic canit è uatum Libris ſeruator IESVS
Depingens uero tale colore nefas.
Hic populus moto mihi perfidus ore propinquat
Me labijs decorans, proh dolor, ipſe ſuis.
Sed procul eſt à me cor eorum futile, uerùm
Humana fruſtrà me ratione colunt.

Hoc etiam pleni diuini Numinis omnes
   Exagitant, CHRISTVS quos ſibi legat, opus.
Hæc Petrus & quiuis exhorret Apoſtolus, acer
   Talia ferre tuos ocia Paule uetas.
Quin ſani quoq; doctores ſibi quilibet uno
   Ore malum uellunt dogmate grande pio.
Quid iuuat has ſuperis labiorum murmure Diuis
   Non intellectas accumulare preces?
„ Spiritus & ueri ratio eſt, quibus uſquè paternum
„   Numen adorandum corde gemente uenit.
Quis furor in Sacris Idola fouere nefanda,
   Per quæ turba pio capta colore perit?
Credite Scripturæ pauidi Chriſtoq; loquenti,
   Et pigeat læuæ uos, ego queſo, uiæ.
Qui fuit iſtarum mos ante recentia rerum
   Sæcula, non modico dignus honore fuit.
Gymnaſion quondàm noſtris nec inutile rebus
   Virtutis necnon hæc Pietatis erant.
Exigui cenſus ſanctis polienda iuuentus
   Moribus has tenuit, plebe uolente, domos.
Publicus hanc ſumptus tantiſper alebat in iſtis,
   Cognita dum Virtus cum Pietate foret.
Quò rebus fieret ciuilibus apta, piumq;
   Quò magis ornaret Relligionis opus.
Decolor huc ætas uarios inuexit abuſus,
   Obſcurata quibus gloria CHRISTE tua eſt.

Hactenùs egregiam proprijs deſcripſimus urbém
Limitibus, nobis ſe uelut anſa tulit.
Sicubi non rebus meriti tribuuntur honores,
Tu ueniam Lector quam peto iure dabis.
Iam breuiter mores calamo referemus aperto, Mores Gentis.
Magna quòd hinc populo gloria danda uenit.
Quò pateat, facilem fuerit ſubducere gentem
Aſtutis, quàm res non operoſa, uiris.
Non Ithaco ſatis eſt uarias errare per urbes,
Et fera Pergameo bella ſub hoſte pati,
Multaq; per magnum ſubijſſe pericula Pontum,
Dum ſtudet ad patrios uſquè redire lares,
Hic niſi perſpectis populorum ritibus horum,
Eligat hinc quæ ſint moribus apta ſuis.
Virtus & uitium ſunt cognoſcenda, quòd arte
Hæc ſemper ueniant expedienda pari.
Hæc procul ut uites, ſed honeſtiùs illa capeſſas,
Illa probanda putes, hæc fugienda tibi.
Haud mihi res facilis bene pacem laudibus almam
Tollere, ſi nunquam prælia dura tuli.
Nec ſtudium ueri quàm ſit laudabile, cernas,
Ni facies falſi nota ſit atra tibi.
Legibus hæc heros dum ſceptra gubernat & armis
Franciſcus Gentis gloria culmen habet.
Ni fera tempeſtas uarijs exorta procellis Magiſtratus.
Hoc ſemel immergens abripuiſſet opus.

Quo

„ Quo magis in cœlum nobis res uenerit altum,
„ Hoc grauior lapſus mente timendus erit.
Agricolæ florent cum nobilitate, uigetq́;
Ciuica res uarijs quæque gerenda modis.
Cuncta Magiſtratus ſolers procurat honeſta,
Cum pius & ſapiens Præſul agenda regat.
Qualia iam cano ſunt horrida ſæcula Mundo,
Vnus ut hoc geminum munus obire queat.
Eximiæ clari ſplendent uirtutis honores,
Longæuiq́; uiri munera tanta gerunt.
„ Vera uenit ſeris ſapientia ſemper ab annis,
„ Nomen ut ætatis mite Senatus habet.
Senatus. Vſibus hi rerum facit experientia longis
Vt ſapiant genita cum ratione ſenes.
Corporis ergo labor grauis his minuendus, at ille
Augendus, quem mens rebus honeſta parit.
Hic reputandus erit tanto præſtantior illo,
Mente minus quanto corporis acta ualent.
Quando ſenilis abeſt dominis prudentia, nunquam
Res geritur ſanis publica conſilijs.
Semper habendus honos nobis eſt grandibus æui,
Grandibus eſt æui ſemper habendus honos.
Magna ſeni laus eſt canos geſtare capillos,
Danda nec eſt uitio ruga uetuſta uiro.
Quin aperire caput decet omnes poplite flexo,
Seu nos præterit hic, ſeu pia uerba facit.

Ius etênim mandat rudioribus eſſe colendum,
Crimina cum lata turpia lege uetat.
Et curam uera pietatis ſemper habendam,
Et ſibi quæ uirtus poſcit honeſta iubet.
Magnates obeunt ſua munia publica certi, Proceres.
Cum dicunt patriæ ciuica iura ſuæ.
Vrbs facit officium iuſti moderator & æqui
Et curam Iudex integritatis agit.
Hunc neq; uel locuples magno corrumperet auri
Pondere, non ullus qui neget æqua, fauor.
Non & opū metus hunc, non magna potentia, nemo
Iuſta uiri grauibus comprimat ora minis.
Fortia facta quidem ſunt hæc uirtutis honeſtæ,
Et precium ſummæ talia laudis habent.
Nam bene qui cauſas agat & Ioue iudicet æquo,
Integer & prudens pectore rarus erit.
Arguit hoc merito uates Aſcræus, & ipſos Iudices δωροφάγοι
Doniuoros uero doctiùs ore uocat.
Exagitant homines & lite morantur iniqua,
Et ſacra ſubuertunt munere iura leui.
Hinc fit ut arbitrijs crebrò tribuatur auaris
Et mala cauſa bonis, & bona cauſa malis.
Ac ius aſtutis coëuntibus omne cauillis
Peruertant homini pectora praua pio.
Omnia nam ſecùm trahit ipſa pecunia, totus "
Quam ſibi pro ſummo Numine Mundus habet. "

In precio eſt uirtus, reſecantur crimina, quantum
Mos patitur, qui uim tempore legis habet.
Praua ſed hic fiunt & plurima moribus, acri
Libera quòd freno tota iuuentus abit.
Non ſolet à puero rigidæ tolerare labores
Militiæ uarios, nec graue Martis opus.
Non ſimilis Spartæ, nec Athenis Pallados urbi,
Nec tibi par ſtudijs Roma uetuſta tuis.
Gens tamen hæc ob res floret celeberrima geſtas,
Et patrij curam prouida moris agit.
Vt generoſa, feri ſtudijs ſic aſpera belli,
Hoc ſibi res quoties publica iure petit.
Natura non arte gerit ſua prælia, quòd ſi
Mars uocat, hæc ſubito tempore bella parat.
Nec ſua militiæ certantibus apta palæſtris
Corpora per numeros reddit agendo pares.
Nullaq́; magnifici precium certaminis extant
Serta, nec armatas conſerit illa manus.
Non ualidis teretes torquentur uiribus haſtæ,
Non agiles gyros lucidus enſis agit.
Hæc modò Nobilibus retinendæ Martia pacis
Prolibus armigero turbine cura datur.
Non tamen à duris refugit generoſa ferendis
Rebus, uiuida quas ferre iuuenta ſolet.
Fortiter illa poteſt Borealia frigora, necnon
Aeſtus ingentes ſole premente pati.

Duri-

Duriter haud dubitat tolerare famemq́; ſitimq́;,
Nec magis à nitidis forſan abhorret equis.
Tota rudis patrijs alioqui moribus illa,
Pacis amans placidæ Martia caſtra fugit.
Eloquio pollet magno, non arte parato,
Officiumq́; ſuum Lingua diſerta facit.
Hîc licet ingenijs non ſint ſua præmia magnis,
Haud tamen eſt doctis Gens inimica uiris.
Sed ſi Muſarum præſtantia dona bonarum
Plus caperet, precij pluris & iſta forent.
Non cruciat ſeſe curis nimio'ue labore,
Non ita fraude ſuas anxia quærit opes.
Veſtibus hæc contenta ferè mediocribus, atque
Gaudet mundicie, ſplendida cuncta fugit.
Cura nec in facili uictu ſit, inertibus unum
Iam niſi per potum luxibus illa caret.
Magna tamen cùm ſit uariarum copia rerum,
Quam plærumquè ſequi luxus ubiq; ſolet.
Squallida pauperies uenit huic inimica, ſed apta
Diuitiæ tanti ſunt alimenta mali.
Gens pia, qua'que Dei nuſquam metuentior ulla
Viuit, ſi ſacrum non agat error opus.
Cùm ſacra conſuetis peraguntur ritibus, unà
Turba frequens hominũ Templa repente petit.
Læta dies celebrat feſtos de more per urbem,
Factaq́; contendit ſoluere uota Deo.

Linigeri

Linigeri quando uocat hanc ſacra concio myſtis,
Irruit huc rapidè more fluentis aquæ.
Auribus hæc puram diuini Numinis auram
Sponte ferat, rerum ſi ſtatus ipſe ferat.
Hîc quoties aliquod mœſtum fit funus in urbe,
Quò ſua quemq; ſuo tempore fata uocant.
Pullata ueniunt matresq; uiriq; decori
Veſte, cadunt lachrymæ ſtantibus ante fores.
Omnes ſupremum triſtes comitantur honorem
Mandantes caſſum luce cadauer humo.
Nec minùs intereà geſtans ciuilia, toti
Eſt patriæ ſtudijs officioſa ſuis.
Commoda, ſed ſimplex nec auarior ipſa benignè
Multa facit, bilis ſed ſatis ipſa tenax.
Fama, quòd aſtutos uulpino pectore plures
Hæc ſibi quàm ſtolidos proferat ora, uolat.
Candidius nihil eſt quibus eſt mens candida, uerùm
His quibus eſt mala mens, tetrius hiſce nihil.
Hoc ego re didici, dum fortè Colonia uanam
Agrippina mihi ſpem nocitura facit.
Quiſquis es heùs qui me quaſi uultu prodis amico
Indignum tali pectore nomen habes.
Quo me conatu uoluiſti perdere, per te
Plus ſatis afflictum, me mihi reſtituis.
„ Qui ſtruit inſidias alijs, ſibi parturit illas,
„ Inq; caput domini tela redire ſolent.

Teſtis

Teſtis erit erit Iudas miſer huius perfidus ille,
Qui uendit dominum proditione ſuum.
Illud idem totum memores exempla per orbem
Nos ſexcenta ſuo nota labore docent.
Quare mando Deo ſint qualiacunq; ſupremo,
Qui bene ſeruabit te pereunte ſuos.
Nam neque tam crebras patiens feret ille rapinas,
Nec tua fœda diu ſerpere ſtupra ſinet.
Vueſtphala gens patrijs per totum dedita ludis
Annum, ſolennes ſeruat & illa dies.
Moribus eſt facilis, tractabilis, illaq; lætæ
Frontis, & ingenuis uſquè faceta iocis.
Sed thalami ſeruans caſti eſt tædæq; iugalis
Quæ matrona ferè pignora chara colit.
Cura licet maior plus utilis eſſet, ut olim
Puniri grauiter ſtupra pudenda ſolent.
Hæc hodie totum fiunt impunè per orbem
Turpiter, huc uenit res maleſana loci.
Eſt quædam furti ratio, qua fortè merentur
Artifices laudem, neſcia turba crucem.
Vt ſi cauta ſuum ſuſpendat aranea rete,
Quo queat inuolui muſca futura dapes.
Perrumpunt fortes, infirmas implicat alas
Tela, nihil captas uox miſeranda iuuat.
Illicò uenatrix accurrit & alligat ipſam
Multiplici prædam ſtamine dura ſuo.

Sanguinolenta ſuas quoq; dant homicidia pœnas,
Et cædes aliquo quæritur orta modo.
Sed nihil impietas premitur blaſphema parensq;
Quod patitur ſobolis crimen uterque, nihil.
Libera ſunt uulgò periuria, ſtupra, rapinæ,
Et quæ falſiloquo quilibet ore canit.
Iſta Magiſtratus ſunt munera ueſtra ſeueri,
Expoſcunt pœnas facta nefanda graues.
Tempore tantarum rerum reddenda petenti
Eſt uobis ratio prorſus acerba Deo.
Fœmina ne precio coniunx uirgo'ue petatur,
Hoc facit exugens fornicis uſus opes.
Quod tamen à cunctis alienum Gentibus eſſe
Debuerat, CHRISTI quæ ſibi nomẽ habent.
Legitimus ſummo thorus eſt à Numine iuſſus,
Huius ut antidotum ſit trucis acre facis.
Nam ruit in blandos feruore iuuentus amores
Prona colens Paphiæ mutua dona Deæ.
Magna puer cæcus flagrantibus ille ſagittis
Hîc ſua latiuagus regna Cupido tenet.
Seu quia pœna minùs ſequitur ſcelus, altera ſiue
Mos natura ferens turpia facta parit.
Seu quia temperiem lumen ſpirabile magnam
Inuoluens tepido flumine cuncta facit.
Namq; ubi ſuccenſas habili uidet igne medullas
Mollia ſubrepens pectora fallit amor.

Seu quia per populum ceſſatur ſæpe, nec eſt hæc
Cauſa nihil, formis ducitur ille bonis.
Hîc adoleſcentes præſtanti corpore Dites
Veſtibus in nitidis ocia ſemper agunt.
Lautaq́ʒ pectoribus celebrant conuiuia lætis,
Plenaq́ʒ Lesbiacum pocula carmen habent.
Forma nitet teneris hic auguſtiſſima Nymphis,
Quam ſimul ornatus corporis arte iuuat.
In teneris animis uulgò malè culpa fouetur
Liberior, creſcens quæ mala multa parit.
Munus erat matrum natas ita fingere, ſaluus
Omnibus in rebus poſſit ut eſſe pudor.
Inſtitui refert has magni cura parentum
Non ignaua, mihi credite, multa poteſt.
Sed neqʒ ſermones hodie, neqʒ facta cauentur
Turpia, quin eadem tradere ſæpe iuuat,
Natabus pater eſt percrebrò leno miſellis,
Et mater turpi lena furore ſuis.
Hinc pietas & tota perit ciuilis honeſtas,
Dum incantatrices cuncta ſequuntur opes.
Sic furor iſte ruit Stygis impellente tyranno,
Quem ſtimulis agitat ſæua libido ſuis.
Hanc natura rapit morbo corrupta furenti,
Ad ſcelus inuitos qui ferus omne trahit.
Sola fit hoc miſeris tantorum cauſa malorum,
Hinc patet immenſo tantus in orbe furor.

Quem frenis quicumq; premunt, duriſq; cathenis,
Hi maius laudis promeruêre decus.
Si neque ieiunus labor hunc, neq; cura fatigat
Magna precum, captis uxor habenda uenit.
Sic ſe ſemper habent humana negocia, nemo
Eſt numeris fœlix omnibus ipſe ſibi.
Omnibus eſt ſua laus populis, & conſcia uirtus,
Atq; ſuus cunctis gentibus error ineſt.
Nemo uacat culpa, nemo ſine labe putandus,
Nemo caret morbis, crimine nemo caret.
Vulgus. *Tota tamen facili ſtudio plebs paret honeſtis*
Legibus, & rata ſunt quæque Senatus agit.
Cum nihil indignum, nihil intolerabile factu
Sanciat, haud meritò tale negaret onus.
„ *Namque Magiſtratus placitis æquisq; pijsq;*
„ *A populo debet mos in honore geri.*
Gnauiter illa ſuis intenta laboribus auget
Totius patriæ commoda grata ſuæ.
Pòſt etiam res eſt ſua cuique domeſtica curæ,
Quæ facili cunctis parta labore uenit.
Vulgò multiplicis uictus eſt copia, non æs,
Non auri deſunt pondera fulua boni.
Artifices omnis generis certamina ſemper
Aßidui faciunt multa laboris opus.
Vrbis opes magnæ, ſed erat locupletior illa,
Si rate nauta tuas Alpha ſecaret aquas.

Vndiq;

Vndiq; conſpicias pulchros florere per hortos
Semina uere ſuo germine læta nouo.
Inuenias illic quod ſenſus captet, ocellos
Aſpectus, nares flamine mirus odor.
Vueſtphalus ipſe ſolum fodit antè ligonibus, udo
Pinguis ut arua fimo fouerit apta liquor.
Craßas ſub raſtri diſſoluit acumine glebas,
Tota quibus fractis terra ſubacta nitet.
Heſperides ſileant Afræ, neq; mollior hortis
Alcinoum Phæax præferat hiſce ſuum.
Nec modò ſunt foris hæc hortorum ſepta, ſed intus
His gremio ſimiles urbs alit ampla ſuo.
Inde uoluptatem ciuis ſibi lætior omnem,
Et ſimul eſcarum commoda magna capit.
Totus ager bibula quamuis ſit ſparſus arena,
Ille tamen cultu ſubueniente ualet.
Nam nitidum poſcunt cultum naſcentia toto
Orbe, parùm fructus abſq; labore uenit.
Nec Tellus eadem fert omnia, diues abundè
Frugibus hæc, uino fertilis illa ſuo eſt.
Auri terra ferax iſta eſt uarijq; metalli,
Inſignes alias largior herba facit.
Nobilior ſyluis quædam, pars gaudet & undis,
Eſt mercaturas quæ uehat ora ſuas.
Permutant homines alijs hæc rebus in orbe
Chremata, noſtra quibus uita carere nequit.

His Deus ingentes in humano corpore pœnas
Impoſuit, crimen nil niſi cauſa fuit.
His ſimul agnoſci uoluit rationibus, atque
Latiùs efferri cum pietate fidem.
E Phriſijs uehitur uariarum copia rerum
Ruribus huc ingens uberis uſquè ſoli.
Diues agri, pecoris, Gens diues & æris & auri
Omnibus hæc ſtudijs ſemper honeſta ſuis.
Sæpiùs adueniens uicinas ducit ad urbes
Ora truces multos, pinguia terga, boues.
Ardua Metropolis Munſteri limina magnæ
Vueſtphalidos terræ gens ſtudioſa petit.
Aduehit in notas plauſtris coëuntibus oras
Lactis & omne genus, piſcis & omne genus.
Quin locuples uarias huc mittit Holandia merces,
Ac quæcumq; ſitu terra propinqua iacet.
Præfixo proſtant alijs uenalia lucro
Empta, ſed haud pluris quàm ſacra iura ſinunt.
Inſtitor hinc omnis toti bene prouidet urbi,
Et ſibi priuatas comparat æquus opes.
Patritia de gente ſatus grauiora per uſus
Tradita prudenti munia mente gerit.
Fortis agit uili pro plebe negocia, ſæui
Iurgia componens ſemper habenda fori.
Omne genus panni ciuis comportat honeſtus,
Quod bene compoſitum theca recluſa capit.

Contrahit & merces precioſas undiquè, quales
Pluribus in magnis urbibus eſſe ſolent.
Expoſitas alijs ſimulac conuexit ab oris,
Diſtrahit, & patrio rem ſibi iure facit.
Certus mutandi conuentus rarior ipſis
Rebus, at urbs qualem poſtulat uſus habet.
Nam neq; mercatus magnos, neq; commoda portus,
Terra fouet ſolas Vueſtphala ruris opes.
Ambitus eſt media falcatus in urbe cauato
Fornice, quos arcus nunc ſua turba uocat.
Contiguæ de more domus ſtant ordine, tota
Spectanti ſeries per fora longa patet.
Quælibet eſt iuſto ſpacijs anguſtior arctis,
Pars prior alta licet proferat ipſa caput.
Has habitant quos iuſta ferè neq; ſordida dites
Mercatura ſuo facta fauore colit.
Omnia conſpicias gratis uenalia nummis
Ordine, noſtra quibus uita trahenda uenit.
Deniquè feruentes obeunt ſua munia ciues
Omnes, quos Tellus frugibus iſta fouet.
Eſt annona ſatis ſemper tolerabilis, aucto
Nil precio carum candida turba facit.
Prouida longinquos granaria cogit in annos,
Et curam tota pro regione gerit.
Ne mala neglecti quenquam penuria uictus
Opprimat, & pariat facta pudenda fames.

Neu ſi quis patrias armis inuaderet arces,
Deſtituat ciues copia larga bonos.
Iam quoque uictus erat non hos quæſitus in uſus,
Luxibus ut tantæ decoquerentur opes.

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER II.

At ferus omnia Mars alieno parta labore
Occupat, & pulſis ciuibus urbe rapit.
Diſsipat & laxis uorat illé profuſus habenis,
Poſtpoſitoq; ſcelus quodque pudore facit.
Vueſtphala gens fama totum uolitante per orbem
Latiuagæ CHRISTI lucis amore ſalit.
Quòd redeat tandem noſtræ doctrina ſalutis,
Quæ priùs auriuoro fuſa colore fuit.
Vix releuare leuis guſtus dulcedine corda
Ceperat hîc ſacri Nectaris ægra liquor.

Eumenidum cùm tota furens uis miſſa ſub auras
 Sedibus è Stygijs omnia ſana mouet.
Impietas bello defenditur omnis acerbo
 Horribilis, quanquam lumine nota ſuo.
Mens licet & leges Scripturaq; dia reclamet,
 Ambitio tamen hoc uincit aperta iubar.
Hinc miſerum planè uulgus perit omne, quod atro
 Quilibet huc illuc turbine uentus agit.
Audit enim uarias agitari tempore cauſas
 Noſtro, quas dubia non niſi mente capit.
Cumq; ſit heì rarus, qui rem ſatis explicet, iſta
 Non intellectum prælia gignit opus.
Inde tot exurgunt duce Mundi Principe Sectæ,
 Omnia quæ magno regna furore cient.
Hinc tantum ſcelus, & rabioſis concita laruis
 Tanta Monaſterij peſtis in urbe furit.
Ordo ſacer, dubia cum plebe Senatus habendæ
 Diſcordes cauſa Relligionis erant.
Turba fremens animis ſæuos agitata tumultus
 Excitat, & gliſcit ſeditione malum.
Nec ualet heì tanti prudentia Præſulis atras
 Ignibus accenſas his abolere faces.
Non hominum generoſa cohors, non ipſe Senatus
 Vrbis, ad hæc ſapiens ſit prohibenda, licet.
Nec peregrina ualent magis hortamenta, nec ulla,
 Adſunt quæ foribus, ſæua pericla mouent.

Non pietas, non Relligio uetat alma, nec ulla
    Hoc uirtus, niſi uis ſumpta per arma ruat.
Tantùm lis parit iſta mali, cum pectora tenſis
    Arcubus in ſeſe liuida tela gerunt.
Præcipuè ſi ſit ſacra res, ibi ſemper auaris
    Spiritus inſtillat mentibus hoſtis opes.
En agè, deſipiens hominum natura remotis
    Caſſa Deo frenis quò furibunda ruat?
Maxima Bernhardus Rothomannus cauſaq; faxq;
    Huius, amore ſui creditur eſſe, mali.
Fataliq; putes magis hoc cognomine uerum,
    Secta quòd huic certo picta colore facit.
Pronus amat cunctas peſtes ſub Sole uagantes,
    Et cupit iſtarum ſolus hic eſſe caput.
Nomen ut hoc illuſtre modo ſibi comparet, altæ
    Tàm ſtudium cupiens ambitionis amat.
Non ego flagitium loquar exitiale nefandæ
    Coniugis, hei, quod ab hoc uir miſer arte tulit.
Coniugis arte tulit Stygia ſibi propter opertos
    Concubitus auidi crimen adulterij.
Eheù quàm uarijs iactatur fluctibus orbis?
    Et ſcelerum quantis exagitatur aquis?
Itur enim quò falſa trahit modò gloria mundi,
    Itur quo Nummi lumina fulgor agit.
Vt taceam miſeris quantas excogitet artes,
    Et quales quærat dira libido uias.

Sunt hominum generi tantorum cauſa malorum
Prima quod hæc auido pectore ſemper amant.
O ſapiunt puro quàm rari pectore uerbum ,,
Sacrum, non habita nunc ratione ſui. ,,
Terreat hoc cunctis Exemplum corda per orbem, ,,
Qui nihili faciunt dogmata CHRISTE tua. ,,
Talia permittit fieri Deus omnia, donec
Crimina mortales hîc ſua noſſe queant.
Qui ſtudium ueri non amplectuntur, agenti
Iſtos erroris ui grauioris agit.
Aſcribant meritis hanc uero nomine culpam,
Qui ſacra defendunt quæque prophana ſuis.
Quæ malè cùm uendant precio rudioribus, & quæ
Integra de ueteri tradita more negent,
Nec minùs hæc manibus fœdis & corde prophanēt,
Fine Deo pœnas horridiore dabunt.
Tantus in his rebus ſacris quoq; feruet abuſus,
Gaudia quæ noſtræ ſola ſalutis erant.
Vndè Deo rebus mala permittente gerendis
Hæc ſunt, cum uirtus & pietas iaceant.
Pectora caſtigat grauibus ſecura flagellis,
Quod non promoueant Relligionis opus.
Nec decus exornent ſanctæ uirtutis honeſtum,
Crimina ſed uulgò creſcere cuncta ſinant.
Quæritur à cunctis hodiè niſi ſola uoluptas,
Et quibus, ingentes, illa fouetur ; opes.

Sic ſtu-

Sic ſtupor & languens ceu ſomnus nocte ueternum
 Occupat immani corda ſupina gelu.
Nec parit hæc Euangelion mala tanta, ſed author
 Eſt Sathanas, mundi ſenſus & ægra caro.
Oſor enim ueri dæmon malus ille ſaluti
 Aduerſans hominum ſemper in orbe furit.
Nec ſacra diuini per terras ſemina Verbi
 Conſpergi furijs ſuſtinet ille ſuis.
Excitat humanam decepto pectore carnem,
 Et pia ſubuertens omnia prorſus agit.
Teſtis erit cæſo furioſus Habele Cainus
 Frater Germano, prohdolor, ille ſuo.
Et furor in ſanctos tantus ſine fine Prophetas,
 Et Iuda regni facta cruenta tui.
Ipſius hoc CHRISTI declarant ſæcula, magni
 Quid Conſtantini tempora quæſo feram?
An minùs & noſtra, fera tempeſtate pateſcunt
 Geſta, nec eſt motus Ruſticus ille ſatis?
Cùm ſimul Agricolæ, quos Theutonis ora fouebat,
 Omnia nobilium perdere tecta parant.
Tam furit hic Princeps Mundi rabioſus acerbi,
 Cùm ſua quid rerum perdere regna uidet.
Eſt locus oſtentans cultos nitidiſſimus hortos,
 Qui nec ab hac longè diſſitus urbe patet.
Exigui ritu ſtant ſola ſuburbia pagi,
 Quà Phœbo terris lux oriente redit.

Hac Telghetta frequens iſtinc ſolet ire uiator
Ad portas recto tramite parua tuas.
Hîc ſibi Mauritius tenet ædem, more dicatam
Gentili, faciles quo parit error opes.
Haud dextrè multis huc concurſantibus ille
Iuſſa Dei uerùm non bene ſecta ſerit.
Auſcultans populus rudis at non impius iſta
Ardua ſyncero dogmata corde capit.
Sed neq; res adeò bona toto floret in orbe,
Quin habeat feces purificanda ſuas.
Huc & iter leuibus patuit nebulonibus, atque
Mens quibus haud ullum concipit eſſe Deum.
Grata placet ſemper nouitas, blanditur, & ad ſe
Pellicit, & uultu neſcia corda trahit.
Occipiunt animi ſparſim ſentire per urbem
Non eadem, quare bilis & ira fremunt.
Hoc proceres ſacri prohibendum tempore certant,
Ne paterentur opes grandia damna ſuæ.
Illicò conſilijs prompſere uiatica captis,
Ablegantq; dato longiùs ære uirum.
En tibi muneris hoc, aiunt, donamus, ut iſta
Dogmata tu meliùs diſcere ſacra queas.
Verùm mente ſatis plus, plus ſatis ille furenti
Ciuibus ac miſeris expedit, iſta tenet.
Hinc abit, abſumptis rebus redit ille, breuiq;
Munus idem longè grauiùs illud obit.

Non ego te calamo Rothomanne tuebor iniquo,
Cùm leuis errores quoslibet ipſe probes.
Et ſi qui caſus fuit hæc tua facta ſecutus,
Credo ſequi tanto turbine poſſe pios.
Hoc Exempla docent uulgò manifeſta, ſed ipſe
Quid tibi quæſieris res bene nota patet.
Hoc tua prædixit uero ſoror omine, iunxit
Quam ſibi legitimo Brixius ille thoro.
Nam quamuis liceat priſcæ ſacra reddere luci
Diſcuſſa CHRISTVM nube tegente Ducem,
Non tamen armifero fuit iſta furore mouenda
Factio, quæ cunctis eſt fugienda modis.
Quò ruis, oro, furens animo Bernharde maligno,
Tu'ne ſacris optas ſugere rebus opes?
Cur tua non CHRISTI modò quæris cõmoda, curæ
Nec tibi grex tota mente puſillus erat?
Sic Euangelion, quo nil eſt ſuauius, almum
Omnibus inuiſum ciuibus eſſe facis.
Et, licet immeritò, ſolam ſibi damna ferentis
Tanta grauis cauſam cladis id eſſe putant.
Quin alijs mera fit blaſphemia Gentibus iſtud
Ob furias hominum diraq; facta, graues.
Hîc clarè uideas impuri pneumatos artes,
Qui ſpecies rerum mutat in orbe uafer.
Nam mera de certo ſtatuit mendacia uero,
Et mala quæ bona ſunt, & bona praua uocat.

Non temerè quicquam toto uenit orbe mouendum,
Hoc niſi compellat res opus eſſe grauis.
Horrida non ſemel hæc animis Idola prophanis,
Dogmate paulatim ſunt abolenda ſacro.
Impia ſic ultrò cedet doctrina, nec ullus
Subſiſtet falſæ Religionis honos.
Omnia quæ populus longo conſueuit ab uſu,
Tollere mox rigido non ſine Marte queas.
Quæ uaga radices égit altè planta, frequenti
Non niſi proſterni uulnere tota poteſt.
Quæq; pilos ſpargens excreuerit ordine longos
Cauda ſemel uelli prorſùs equina nequit.
Debuerat noctes oratio uera dieſq;
Ex animo fundi, quæ dare cuncta ualet.
Eſt labor humanus tantis in rebus inanis, "
Hunc niſi diuinus fulciat uſquè fauor. "
Sed licet iſta pijs noua lumina mentibus hoſtis
Sic Stygius Verbo ſæuus agente furat,
Hoc, Euangelio tamen exitiabile franget
CHRISTVS & inuito dæmone tollet, opus.
Quam ſibi cœleſtis pater haud plantauerit, arbor, "
Stirpitùs è terra uellitur illa ſua. "
Omnia diuinis cedant humana neceſſe eſt "
Conſilijs, ratio hîc noſtra ſepulta iacet. "
Ancipiti Verbum gladio penetrantius, illud "
Diſſecat humanæ fortiter artis opus. "

Nam

Nam graue Sectarum certamen oportet haberi,
Vt Deus Electos ſic probet ipſe ſuos.
In uarias ſcindit ſenſim malè cognita partes
Hæc homines læuo res agitata modo.
Ex quibus hic ingens oritur diſſenſio, parsq;
Hæc animo prauo hoc, pars facit illa bono.
Vtile ſuſpenſam Rothomannum clamat in urbem
Accerſi minor, at maior acerba negat.
Ducitur huc tandem, ſed & imprudenter utrinq;
Omnis res agitur lumine capta ſuo.
Ille ſacra mordax Lamberti ſede receptus
Mœſta ſacerdotum corda pudore facit.
Obſtrepit his uulgus ridens odioſius, ullum
Quod ſeruare ferè neſcit in orbe modum.
Hinc grauis irarum furor extat ubiquè, ſolet qui
Lites & motu gignere bella fero.
Inſtat & immanis Mundi Deus ille colore
Spiritus exacuens feruida corda ſuo.
His ferit obijciens ſua mòx mendacia fuco
Fallaci, ratio quæ citò uera putat.
Vt quondam mater tibi ſub ſerpente locutus
Corrupit ſenſus luminis Eua tui.
Diuitias uitæq; decus, Veneresq; nitentes
Occinit, & nil non quod caro ſæua cupit.
Corruptum patriæ quia labe propaginis omne
Hæc colit humanum commoda ſola genus.

Nam metuunt opibus, quas non labor aggerit, hosq;
Hei ſua ſollicitos ocia grata tenent.
Quas utinam toto ſumant ita pectore curas
Pro ſibi commiſſo cœlitùs uſquè grege.
Et ſacra lædentes tolli patiantur abuſus,
Tempore qui uires explicuere ſuas.
Expers humanæ Verbum ſit ut artis, apertè
Lux Euangelij fulgeat alma ſacri.
Integra Chriſtiadis domino mandante Synaxis
Omnibus ut detur ſacra, nefaſq; ruat.
Hoc etenim noſter docet & Seruator IESVS,
Et pius ardenti pectore Paulus agit.
An fas eſt, animas ob lucra perire nefanda
Tot miſeras, ſapiens quiſque uidere poteſt.
Excuſſo uolumus ſi uerum noſſe ueterno
Hæc bene ſanari uulnera facta queant.
Haud dubiè meliùs res hæc gereretur utrinquè,
Nec foret hoc miſero tantus in orbe furor.
Si modò non hæc ſunt ſenioris turbida mundi
Fata, priùs uates quæ cecinere pij.
Nam nihil omninò rationis habetur amantis
Vera, nihil pietas pectora cæca mouet.
Sola Dei ſpreto eſt hodiè ſapientia Verbo
Ocia cum fluxis quærere diuitijs.
Per fas, perq; nefas uulgò rapiuntur aperta
Vi bona cum ſacris cuncta prophana bonis.

Nam colitur Mammon uoto Deus ille frequenti,
Et colitur magno Venter honore Deus.
Sanctaq; ſecuris non eſt Eccleſia curæ
Mentibus, hinc tantùm regnat in orbe mali.
Sic homines Sathanas ſtudijs dementat auaros
Aſsiduis, nunquam quod ſatietur habet.
Ceù leo nos circum qui rugit obambulat hoſtis
Conquirens rabido quem uoret ore ferox.
Eripit ille piũ gedido de pectore CHRISTVM,
Quo ſecura furens corda tacente facit.
Sic pietas, ſic uera fides, ſic cœlitùs orto
Mens ſemel ablato lumine tota perit.
Splendor fucatæ modò Relliglonis amatur,
Et ritus uera qui pietate carent.
Omnia tegminibus bona conuaſantur opertis,
Aurum capta ſuo corda nitore trahit.
Nulla ſalutiferis tribuuntur præmia Muſis,
Hinc peritura ruens tota iuuentus abit.
Negligitur populi res, & pia cura ſalutis,
Spretus & in toto Lazarus orbe iacet.
Virtus eſt odio, non æqui Iuris habetur
Hei ratio, perijt cum probitate pudor.
Hinc mala tot noſtris oriuntur rebus, & ima
Occupat hinc tantum corda dolore malum.
Hinc motus, hinc bella, fames, hinc plurima peſtis,
Qua Deus humanum punit in orbe genus.

Hæc ubi conſperſis contentio ſæua cauillis
Incaluit, magnus flagrat in urbe furor.
Conſilijs crebrò locus eſt, crudeſcit ut apta
Non uſquam factum pharmaca uulnus habet.
Conuenit ordo ſacer, totusq́; Senatus & omnes
Ciues, præfixus cum uocat ipſe dies.
Pars furere in pigros myſtes, pars dicere ritus,
Et Sacra quæ fuerint hactenùs eſſe pia.
Hi quædam mutant, quæ non toleranda, ſed illa
Quæ fieri poßunt, eſſe tenenda canunt.
Pars Euangelici fiunt, ſacra rapta prophanent
Quò bona, & ad ſeſe fraudibus illa trahant.
Quæ modò diuino debentur iure miniſtris
Verbi non rudibus, cordibus hisq́; pijs.
Et quibus eſt curæ ſuſcepta iuuentus, ut artes
Imbibat, & mores hauriat illa bonos.
Diro ſollicitæ pars ambitionis amore
Ducitur, hæc ſtudium pars nouitatis habet.
Pauci rem capiunt ſolidè, ſed noſſe laborant,
Et ueræ hoc cupidi Religionis agunt.
Quidam Statlonium pergunt defendere, quidam
Pellere ui, tantus ſæuit utrinquè calor.
Fato neſcio quo Legum Iurisq́; perite
Hoc perdis uitam turbine Vuiche tuam.
Quos Deus elegit, ſancto quos flamine ducit,
His pietas puro pectore uera placet.

Falſorum uatum abijciunt inuenta per aſtus,
Et ſacra ſuſcipiunt dogmata CHRISTE tua.
Nec quicquam temerè quod non conſentiat iſtis
Admittunt, licet id frontis honore micet.
„ Nec iuga diuinis miſcent mortalia rebus,
„ Hæc niſi per Verbum ſint manifeſta ſacrum.
Sanctaq; ſeruantes cœleſtis iuſſa parentis
Sollicitas fundunt nocte dieq; preces.
Qui furias norunt mendacis dæmonis atras,
Et quæ flammigero tela furore uomit.
Qui neq; uexati miſerè franguntur iniquis
Hoc animis Mundo facta minante fera.
Sed magis ærumnas omnes perferre laborant,
Et CHRISTI reditum ſpeq; fideq; manent.
Qui dabit his Iudex iuſtus ſua præmia, uitam
Aeternam, pœnas tempus in omne malis.
Quos neq; mēs neq; relligio (quæ maxima turba ē)
Vlla mouent, curæ ſunt bona ſola uiris.
Ingentes & opes & inanis gloria, quos'que
Hoc popularis agens aura furore tenet.
Omnia qui cupiant ſunt hîc ſurſùm atq; deorſùm
Miſceri, quidam munia pacis amant.
Obtinet hîc tandem pars maxima, corpore ſaluo
Vt procul hac præco cederet urbe nouus.
Nec ſatis hoc uiſum, ſed & huic ditione minando
Inter Vueſtphalici dicit adusq; ſoli.

Comi-

Cominùs in promptu collecta pecunia, necnon
    Quæ comitaretur turba repente fuit.
Res erat hæc tranſacta ferè, cùm murmure quidã
    Extulit in populo talia uerba minax.
Hos omnes unà pelli debere, uocaſſent
    Quotquot in hæc facili mœnia uoce uirum.
Hoc omnis dicto res eſt turbata, fremensq́;
    In partes populus ſcinditur ipſe duas.
Exoriens murmur trepidas exardet in iras,
    Dum uice continua dicta cruenta uolant.
Exitio uelut eſt libertas maxima rebus, „
    Sic urbes nimius perdit in orbe rigor. „
Qui uolet ad uiuum delicta ſecare, profectò „
    Haud ſibi fida ſatis regna tenere poteſt. „
Cuncta ſuo nec agent domini pro iure, ſed arte „
    Plurima principibus diſſimulanda uiris. „
Altera Lamberti leuibus munitior armis
    Cum fulgente ſacros occupat æde locos.
Conſilium captat, quo ſe tueatur ab iſto
    Exilio, ſibi iam præſto quod eſſe putat.
Altera cum dominis conſultat mœſta: parari
    Sæua quòd in ſeſe duriter arma uidet.
Pingitur à ſcriba ſubitò mandante Senatu
    Præſulis ad celeres litera danda manus.
Curáq; nobilium legauerat antè Tabellas
    Sæpe ſuas, odium ſæua querela parit.

 Voci-

Vocibus & ſcriptis, & uotis poſcitur alter,
Qui ſacra de ſolito munia more colat.
Hæc ubi percipiens heros Franciſcus inaudit,
Ex animo metuens his grauiora dolet.
Iamq; uigil ſecum, noctesq; diesq; reuoluit
Quid faciat, ne res publica lapſa ruat.
Nec minus hinc poßint quæcunq; pericula naſci,
Colligit, & curis fluctuat aßiduis.
Sollicitusq; ſuis deliberat ille uocatis,
Afferat ut dubijs tempore rebus opem.
Oppidulum colitur modicum, Telghetta uocatur,
Quà fluit Amiſiæ lentior unda uagi.
Non à Metropoli diſtans procul, utpote primus
Hac quod Vueſtphalica ſignet ab urbe lapis.
Omnes ipſe ſuas huc Præſul conuocat urbes,
Et proceres magna Nobilitate ſatos,
Quò fera dißidij tollantur ſemina fuſi,
Ne grauior miſcens omnia motus agat.
Protinùs obſtandum eſt morbis uenientibus, atque
Temporibus ueniunt pharmaca danda ſuis.
Fixa dies aderat, legatio ciuica multo
Huc numero, necnon ſtirps generoſa uenit.
Intereà creſcens à Præſule deficit urbis
Turba Monaſterei plurima fortè ſuo.
Conſpirat ſimul, & uires conferre parata eſt,
Nec ſibi concepto iuſſa furore facit.

Nam

Nam timet exilium diuerſæ partis acerbum,
Quod modò uox clarè dura minata fuit.
Quinetiam pars hæc peditum numeroſa cohortem
Dum licet hoc cogens tempore uafra legit.
Cum qua Telghettam clàm tendens nocte per undas
Flumineas uacuam mœnibus ipſa capit.
Vi paßim uictrix fragiles irrumpit in ædes,
Et ſecum rapiens corpora capta trahit.
Nobilibus ſubitò uel ſemiſopita furenti
Inuadit gelidus turbine membra tremor.
Te uerò noctem tua Præſul abeſſe per iſtam
Fata gubernanti conſtituere Deo.
Aduerſus dominum noſtræ quantumlibet altæ "
Proficiunt artes conſiliumq; nihil. "
Humanum nihil huic uideas molimen obeſſe, "
Cuius agit curam fautor in orbe Deus. "
Quæritur hoc uulgò cur fiat, cauſa tacetur,
Sed modò dant lætos tympana rauca ſonos.
Curribus imponunt captiuos antè paratis,
Inq; ſuæ ſedes protinus urbis agunt.
Tantiſper tenet hos facilis cuſtodia, donec
Ipſe dedit Princeps pro regione fidem:
Se nihil aduerſus facturum uota petentum,
Vt myſtes cœptum proſequeretur opus.
Pro captis igitur fit ſponſor Epiſcopus almæ
Pacis amans, ob quam cuncta paratus agit.

Captiui uario ſoluuntur tempore, pulſa
Nube redit Phœbi luminis aura breuis.
Iſtaq; dimidium res eſt tranquilla per annum
Vrbis, at hoc dæmon, nec mala corda ſinunt.
Semina doctrinæ uaga dum ſparguntur in omnes
Fuſa breui terras tempore fama uolat.
Pars pia crudeli uexata tyrannide gens huc
Omnibus è terris pacis amore fluit.
Pars & opes ſperans magnas, ut in orbe bonarum
Præcipuè rerum ſemper abuſus adeſt.
Huc ingens properat Rhenanis agmen ab oris,
E Phriſio ruit huc magna caterua ſolo.
Huc Bathaui miſtis ueniunt reſonante Brabantis
Nauigio, numerus creſcit ubiquè magis.
Plenus ut eſt hodie magnis erroribus orbis,
Pars Anabaptiſtæ peßima maior erant.
Inſinuant ſeſe dubijs hi mentibus, atque
Aedibus in multis res furioſa latet.
Dum uitiata ſibi paulatim membra per omne
Synceram partem corpus in urbe trahant.
Vt ſolet afflatis ſenſim uis atra uenenis
Serpere per uenas miſta cruore nigras,
Donec agens partes ea ſit graſſata per omnes,
Et feriens ſæuo corda furore necet.
Sæuaq; iam procul hæc tacitè contagia ſerpunt,
Cùm creſcat numero Secta pudenda ſuo.

Aethe-

Aetherias ſenſim ſe promit murmur in auras,
Quod tamen occulto nunc metus ore premit.
Non aliter quàm cum pyra ligno ſtructa frequenti,
Scintillas fumo mittit agente nigro,
Donec agens rapido tandem creſcente micantes
Flamma ſuas uictrix explicet igne faces.
Illicò ſacrorum Domini *& pars magna Senatus*
Stationium cœptum ſpargere dogma uetant.
Atque fores Templi clauſas munire laborant
Non profecturis nocte ſilente ſeris.
Phana tacent nullis huc ingredientibus, atqui
Os Rothomanniacum *latiùs uſquè patet.*
Nil homines tantum quàm quod prohibetur adorãt, »
Et uetitum ſemper gratius eſſe ſolet. »
Prima ſoluta fides initi malè fœderis, æqua
Nequaquàm pars hoc altera mente tulit.
Aegreſcit magis atq; magis furor impius, atque
Maiores uires exagitatus habet.
Conſilium capiunt unà breue, quilibet illò
Fertur, quò ſua mens impetuoſa rapit.
Coniungunt animos Rothomannus *Sectaq;, ſecum*
Rapturi multos in mala fata pios.
O miſerum mortale genus, quod opinio ducit,
Quando iacet Verbũ, *ſpes mea* CHRISTE, *tuũ.*
Hoc Catabaptiſtæ, *ſibi prorſùs inutile dicunt,*
Pectora cùm ſanctus Spiritus *ipſe regat.*

His fuit abiectus dux Sartor Holandus inepto
Ore loquax totus Cypria pulchra tuus.
Primùm blandidicus muliebrem nomine ſexum
Pertrahit in Naſſam ſplendidiore ſuam.
Hinc alios ſenſim firmis munitus ab armis,
Iſtaq; ſub ſpecie Religionis agit,
Garrulus hic ultra crepidas noua tractat in urbe,
Quæ ſibi de cœlis cuncta uenire canit.
Arripiens reſtim (qua dignus) & ilia cingit,
Et plenus magni uerba furoris habet.
En, ait, hæc certo uobis prædico futura,
Quæ pater omnipotens protulit ipſe mihi.
Omnibus eſſe opus hic reddi baptiſma ſecundò,
Qui ſalui fieri tempus in omne uelint.
Nec tamen infantes tingendos fonte puellos
Sacro, quòd capiant pectore dogma minùs.
Et fore iam proprium nihil, in commune ferenda
Omnia diuino ciuica iure bona.
Hic tantum tali meruit ſibi uoce fauorem,
Protinùs ut uatem plurima turba uocet.
Haurit Matthiades doctrinam gnauus & hoſpes
Hoſpitis affectans nomen inane ſui.
Promouet hic illum concredens omnia, paruo
Tempore ſic ambo munia uatis habent.
Auribus hæc æquis pars magna capitq; magiſq;
Talibus eſt cordi res peragenda modis.

Eſt ho-

Eſt hominum ſtudioſa mali natura, furensq́; ››
  Hæc plùs affectat quæ nocuiſſe queant. ››
Accedit facili his Rothomannus mente, quòd hoſtes
  Occluſas teneant ui dominante fores.
Priuatim domus eligitur, quò turba uocetur
  Auditura ſuo tempore dogma uiri.
Tum demum feruet res hæc incepta furore
  Dira nouo, quiduis tentat & ille mali.
Spargit & in uulgus nocitura uenena prophanum,
  Quæ tenebris fouit Secta pudenda ſuis.
Hæc ubi ſenſerunt eiuſdem cætera Sectæ
  Monſtra, cateruatim Vueſtphala rura petunt.
Hæc magis exacuunt rapidis concurſibus iras,
  Et uarijs turbant triſtia corda modis.
Illicò conueniunt quotquot cane peius & angue
  Oderunt pacem cum pietate uiri.
Et quibus eſt cenſus breuis, eſt & curta ſupellex,
  Quos ſua lurcones huc gula dirà trahit.
Qui ſua iamdudum patrimonia faucibus hauſta
  Decoxêre malis artibus adueniunt.
Affluit huc alijs animam qui debet iniquam
  Aera magis conflans nunc aliena ſibi.
Gratius eſſe poteſt nihil his gaudentibus atra
  Ex animo tantis ſeditione malis.
Nam malus, ut iacta eſt ſemel alea Martis, honore ››
  Sæpius in magno quilibet eſſe ſolet. ››

In primis cupiunt affectu talia miro,
Vſſerit ira quibus Iudicis atra notam.
Et quibus illata eſt iniuria parua furorem
Vindictæ cupidum pectore ſemper alunt.
Membra licet tepidis coaleſcant tempore ſuccis,
Quæ priùs horruerint uulnere læſa graui,
Hinc tamen oſtendens certiſſima ſigna cicatrix
In fragili ſemper corpore clara manet.
Sic ferus & quondam Cnipperdollingus, acerbi
Ob furias animi uincula dura tulit.
Non è plebe ſatus media, nec uilis, honeſto
Hic homo ſed celebri natus in urbe loco.
Iuſtus uterque parens & amans pietatis, & expers,
Quæ poßit ſciri, labis, in urbe fuit.
» Pauci ſunt nati ſimiles genitoribus, his pars
» Maxima deterior, ſed potior minima eſt.
Hic ubi labenti teneris exceßit Ephebis,
Acris & inflati pectoris uſquè fuit.
Et multi ſumptus, alieni debitor eris,
Prodigus, & ſtudium qui nouitatis amet.
Corpore uir præſtans, faciem ſubtriſtis, ut ignis
Martia ſub uolucri lumina fronte micant.
Nigrantes tumido raſus de uertice crines,
Atraq; per mentum mobile barba riget.
Exiguum capitis tegmen formaq; rotundum,
Et breuis aſtricto corpore ueſtis erat.

Pugio tranſuerſè dorſum quoque cingit acutus,
Cui uagina nitens omnis ab ære riget.
Multa ſuo uoluens animo uerſutus acerbo,
Pauciloquus, linguam res niſi magna petat.
Tum uerò fluuio ruit huic facundia largo
Ampullis iaculans fulmina ſæua ſuis.
Carcere concluſos grauis eripuiſſe Senatu
Dicitur inuito ui priùs ille fera.
Et mouiſſe truces furiata mente tumultus,
Molitumq; ſua perdere cuncta manu.
Hoc auidus facto tranquillam læſerat urbem,
Hac quoque turbatus parte Senatus erat.
Compoſita tandem cauſa pro talibus auſis
Exhibuit quiddam iure coactus opum.
Sed cùm prima ſuos natura relinquere mores
Neſciat, & ſolitis lege ſoluta uacet,
Ad ſæuum redit ingenium, conuitia non fert
Occultè, tumidus quæ mala finxit homo.
Martius hunc animus ſtimulat, rapit, incitat, aufert,
Et iuuenilis agit pectus inane calor.
Ille dicax teneras petulanter Præſulis aures
Vueſtphalici ſalſis raſit ubique iocis.
Præſulis, hoc qui ſe per tempus munere cautus
Abdicat anteferens ocia diuitijs.
Scommate fuſorum dictus uerſator amaro
Teſtibus, ut fertur, pluribus ille fuit.

Quid faceret temerè deriſus? acerba ferenti
Diſsimulat fortis pectore dicta diu.
Sed cùm Munſtero procùl hic equitaret ab urbe,
Et peteret portas candida Brema tuas,
Protinùs ex quadam tacita ſimul arce ruentes
Hunc proceres rapidis aggrediuntur equis.
Horreſcunt ſubitò comites, gelidusq; per oſſa
Intima preuaſit uoce ſilente tremor.
Hic inter reliquos in equo uincitur, & inde
Abripitur ſolus, cætera turba fugit.
Nec potuit ſeſe ſpacio deprenſus iniquo
Tutari, robur corporis omne iacet.
Mæſtus & inuitus trahitur ſub nocte fragoſum
Per loca dumeti plena tegentis iter.
Ventum erat ad limen nemoroſæ ſeriùs arcis,
Iu qua tunc Præſul temporis hoſtis erat.
Truditur in cæcum tenebroſi carceris antrum,
Cui ſtringunt celeres uincula ſæua pedes.
Hinc is amicorum precibus, poſcente Senatu
Eximitur, multò ſæuior inde redit.
Nec tamen omninò mentis manifeſta retortæ
Signa dabat, tantus diſsimulator erat.
Obſequio ſeſe cunctis accommodat omni
Synceram fingens cordis amicitiam.
Nulla ſimultatis contractæ ſymbola, nuſquam
Prodit quæ tacita crimina mente premit.

Tantæ

Tantæ inſunt animis latebræ, tantiq; receſsus,
Id genus ut tenebris horrida monſtra tegant.
At rapidos odijs explet flagrantis & ira
Pectoris affectus iam ferus ille ſui.
Saltem defuit his occaſio commoda factis,
Quæ data nunc animi detegit antra mali.
Ex hoc fonte fluunt tantæ primordia turbæ
Parua, ſed in magnum multiplicata malum.
Cauſa uel in tantum rapit hunc tantilla furorem,
Mouerit ut patriæ bella cruenta ſuæ.
Perfidus in ciues ſocios, ſed & impius in te
Metropolis, terræ Veſtphalidosq; caput.
Non patria tali, non tali ſtirpe parentum,
Nec magis hic tali coniuge dignus erat.
Degenerem Scythica meritò de gente profectum
Barbara debuit hunc terra tuliſſe uirum.
Talia nec iuſtum fuerat connubia iungi,
Sed fuit è Geticis uxor habenda caſis.
Quæ furia exagitat tibi ſæuam dira'ue mentem
Qui dare ſuſtineas talia damna tuis?
Nam ferus ad culpam cauſasq; manusq; dediſti
Tantam, prætexas rebus honeſta licet.
Cur pietas animum potiùs non uincit, & æqua
Perdite cur odium non ratione premis?
An patriæ poſtquam tibi contulit omnia ſanctæ
Gratia pro meritis redditur iſta ſuis?

Illa dedit uitam, Leges & iura, quod & te
A cunis puerum natrijt inde ſolum.
Et docuit mores, quanquam natura repellit
Hanc tua doctrinam, nec retinere poteſt.
Tradidit illa tibi pietatis ſemina ſacræ,
Quaq; Deum deceat Relligione coli.
Quidq; parentibus, & quid amicis, quidq; ſodali;
Quid reliquis merita pro pietate dari.
An tibi ſeditio tam noxia ciuibus iſta
Natali potuit gratior eſſe ſolo?
Obſecro quid rerum patriam moliris in urbem?
An miſer hanc neſcis Numinis eſſe loco?
Hæc tecum propter Tragicos expoſtulat auſus,
Iure datam queritur te uiolaſſe fidem.
Dulcius hac nihil eſt cunctis ſapientibus una,
Pro qua non dubitant fortiter enſe mori.
Aſperius nihil eſt Ithace, quaſi nidus in alta
Et ſuper horrenti quæ ſita rupe riget.
Non Laërtiadi tamen hanc abolere uoluptas
Vlla, licet uario ſublita melle, poteſt.
Num loca cincta mari, & cunctarum ditia rerum?
Num pluris magnas hac ſibi duxit opes?
Num Dea, quæ forma fuit excellente, Calypſo
Detinuit magna pectus Vlyßis aqua?
Hoc nec amor Nymphæ, nec honor diuinus ab illa
Dandus, nec flexit Nectar & Ambroſia.

Dic mihi

Dic mihi quid fumo, qui longè eſt fuſus in auras
Aetherias homini uilius eſſe queat?
Vir tamen exoptat ſapiens hunc cernere capnon,
Lucida quem patrius mittit ad aſtra focus.
Magnaq́; ſi liceat paruis componere rebus,
Et procul exemplum quærere nunc ſit opus,
Non mens talis erat diuina Themiſtoclis illa,
Ingratis bene qui ciuibus ipſe facit.
Corda nec ob cauſam rapit hanc furor alta Camilli,
Roma quòd indignis hunc agit ipſa modis.
Haud facis, ut iactas, quod ſanctis Regibus olim
Sub rigido Iudæ contigit Imperio.
An non Priamides ſibi Troius Hector acerba
Vulnera pro Phrygibus pertulit ille ſuis?
Augurium canit eſſe bonum duriſsima ferre
Pro patrijs forti pectore bella focis.
Indigno contra patriam pugnare ſub hoſte
Auſpicium tibi iam debuit eſſe malum.
Non cineres patris & matris cohibere furentem,
Et tibi coniunctus ſanguine nemo poteſt.
Nec ſocer, aut miſeri tibi mentem flectere nati,
Nec pietas mouit coniugis ulla tuæ.
In te ſancta fides uſquam minimè, ſed acerbi
Apparent odij ſigna cruenta tui.
Nec ſatis eſt quod opem patriæ domuiq́; tuliſti
Nullam, pro quibus hæc uita neganda uenit,

Inſuper auxilium perturbatoribus adfers,
Imò uel es tanti cauſaq́; duxq́; mali.
Nam neq; conflaſſet Gens hos externa furores,
Ni tua peſtiferam dextra tuliſſet opem.
Quæ tibi dira precer pro factis improbe, digna
Pœna quibus fingi Carmine nulla queat?
Sed rapidi aduerſus ne lucter flamina uenti,
Candida iam cymbæ contraho uela meæ.
Nec libet hic laruis pugnare, ſed omnia dico,
Poſteritas fugiat quò monefacta ſcelus.
Omnibus ut tantum ſit deteſtabile crimen
Temporibus, nec gens approbet ulla nefas.
Et redeant ad ſe cuncti, quibus iſta per orbem
Pectore decepto facta placere queunt.
Permultos trahit hic ſecum non ſponte ſequentes,
Nam fuit inſignis magna propago domus.
Huic ſeſe iungit Chippenbrochus aſper amicum,
Chrectingusq́; ſuas qui malè paſcit oues.
Atq; alij, quorum trahit huc ſua quemq; cupido
Dira, quod haud uirtus dat, furor omne dabit.
Sed tamen huic magni ſpecioſum nomen honoris,
Prætexunt, ſanctum Relligionis opus.
Oſtendunt miſeris ſpem quæſtus rebus inanem
Clàm, ſed longè aliud ſubdola corda tegunt.
Non ſecùs ac uolucres captant per tenſa ceraſtæ
Cornua, quos tenuis cælat arena, uafri.

Auſcultant auido Rothomannum pectore cuncti
Cum Secta, quotquot facta nefanda colunt.
Sparſaq; iam totam Gens eſt male ſana per urbem
Cœptans conſilijs horrida bella feris.
Omnibus in domibus latitantes uerba loquuntur
Grata, quibus tacito corda fauore fouent.
Author doctrinæ tales portendere motus,
Cùm tacitus ſecum bella futura uidet,
Ambigit hæc uoluens animo pergat'ne, fugam'ne
Arripiat retrahens dum licet ipſe pedem.
Hac mens & ratio pugnant de parte, ſed illa
Et pudor & uaria ſpiritus arte malus.
Hi uincunt animum, qui laudis auarus inanis
Et Veneris necnon æris opum'ue fuit.
Quare iam totas liber ſibi taxat habenas,
Cunctaq; depoſito frena pudore iacit.
Fama fuit potus miſtis quos fecerit herbis
Hunc ipſum populis contribuiſſe ſuis.
Omnibus & tantum ſemel infudiſſe furorem,
Horrida iam peterent præter ut arma nihil.
Thyrſigeras ueluti ſi Thebis undiquè Bacchas
Ebrius affuſo Numine Liber agat.
Orgia quando uirum contingit adire prophanum
Luminibusq; feri cernere ſacra Dei.
Penthea ſic laceras fera natum mater Agaue,
Cùm ſoror atra tibi neutra negaret opem.

Iam nulli parcens, dominos ſtomachatur in omnes,
Secta quibus cordi iam minùs iſta foret.
Nec ceſſare poteſt, iuſſuſq; tacere reclamat
Præſidio populi fiſus amantis opes.
Occipiunt ſæui uulgò meditarier arma
Præcipui tenebris tecta ſed illa ſuis.
Obtentu ſolidæ uelant pietatis amara
Pectora, quodq; iubent cætera turba facit.
» Nam uerbis factiſq; bonos ſimulare colores,
» Fallendi facilis uulgus in orbe uia eſt.
Concio iam quoties tacitas ſit habenda per ædes,
Indicat hanc tonitru machina laxa ſuo.
Conueniunt omnes auidè, pars inſcia rerum
Et pia, pars monſtri quid grauioris alit.
Cunctantes alij ſperant meliora, nec armis
De rigidis tantùm ſuſpitionis habent.
Quinetiam terræ miſceri cernere cœlum
Pars malit, ſua quàm tollere ſacra ſinat.
Siue Dei fiant hæc iuſſu, ſiue cauendum
Humanæ modò ſint traditionis opus.
Sic ſemel inuerti patitur Deus omnia, donec
Agnoſcant homines dogmata uera mali.
Concutitur ſæuis Eccleſia ſancta Tyrannis
Semper, & aſſiduo prælia Marte gerit.
Namq; ſuos Sathanas famulos uafer excitat, atq;
Contra nos uires exerit ipſe ſuas.

Ablato miſeris Verbo CHRISTI'QVE cruore
Nititur hoc ſanctæ tollere robur aquæ.
Hinc tot monſtra uagò ſpaciantur in orbe, ſalubris
Quæ reduces ueri nunc remorantur opes.
Sed fremit incaßùm, diuina potentis IESV „
Fortior eſt uirtus omnibus illa malis. „
Occipiunt quoſdam uulgò iactare prophetas,
Dicere qui poßint quæque futura uiris.
Tempore qui longo ſimulac iacuere ſupini
Fatidico promunt iuſſa furore patris.
Aeditur in uulgus conſcripta Tabella maligni
Præcipuos capiens dogmatis articulos.
Tum demum uideas in peius uergere totam
Rem, neq; iam ſani quid ſupereſſe putes.
Non aliter quàm cùm uires incendia ſumunt
Parua ſuas Borea flamen agente ferum.
Exuperat ſparſas creſcente caloribus igne
Vndas flamma ferox, & iuga ſumma tenet.
Solliciti eſt fruſtrà labor ingens Præſulis, auctis
Conſilium uincit uiribus omne furor.
Intereà terras uolitans it fama per omnes,
Veraq; cum falſis mox agitata canit.
Pars hominum rabidis ſtudijs augere laborat
Praua malum, pars, huic ut medeatur, agit.
Dux grauis Heſſorum ſapienti mente Philippus,
Cum uidet hæc, nil non pacis amore facit.

Conſilijs locus ut breuis eſt datus, illicò certis
Traditur hæc omnis res peragenda uiris.
Catthica commotæ legatio mittitur urbi,
Quæ fera ueraci dogmate corda regat.
Verùm cùm foret hæc res deplorata, nec ullam
Cruda queant Medicam uulnera ferre manum,
Ocyùs illa fuga ſibi conſulit, omnis ab urbe
Pellitur hac uirtus, uis regit una forum.
In ſeſe currunt & cæco cuncta tumultu
Miſcent, hinc cædes orta cruenta furit.
Hæc fera miranti tibi facta Philippe reuerſi
Melſingus pauidi Fabriciusq; canunt.
Cordati placidis quidam ſermonibus iras
Ardentes mulcent & fera corda domant.
Fœdere firmatur pax non diuturna reducto,
Libera iam parti mens ſua cuique uenit.
Ne modò tranquillæ ſtatus urbis Marte furenti
Turbetur, ſeſe cætera poſſe pati.
Denuò Lamberti reſerantur Templa Senatus
Edicto, rerum priſtina forma redit.
Ceſſant arma parùm, dominus non ceßat Auerni,
Nec quos iure tenens poßidet ille ſuo.
Ecce fides tota rebus data fortè quietis
Vrbe furit uinclis dißociata ſuis.
Fœdifragi rapiunt iterùm furioſiùs arma
Hîc Anabaptiſtæ cædibus apta feris.

Longà

Longa metalla globis procul exonerata nigrantis
    Pulueris accenſi uiribus igne ſonant.
Triſtibus altera pars animis ſua tela requirens
    Iam propè conſilij nutat & horret inops.
Miraq; res quòd non committere dura ſit auſa
    Prælia, rupta ſit hæc cùm data ſæpe fides.
Vlla nec in rabidis ſit uirtus hoſtibus, imo
    Nec placide ſtudium pectore pacis amet.
Præcipuè numero cùm uinceret hoſce frequenti,
    Totaq; Secta ferè gens peregrina foret.
Hæc niſi fortè putes fatalia, uiribus ullis
    Nec ratione tua uincere fata queas.
Pars uaga diſcurſat bacchans ſimulatq; uerenda
    Luminibus cœlo monſtra uidère ſuis.
Nubibus è ſummis procul apparere Dracones
    Horrendos, clamant, tu pater iſta facis.
Tu pater iſta facis, quia uis punire ſceleſtos,
    Qui tua præfracti iuſſa neganda putant.
Augurium dat turris eis, dant alta domorum
    Culmina, uel Solis nunc iubar omen habet.
Hæc quoq; ſuggeſto firmans Rothomannus ab alto
    Enodat populo corda ſtupente ſuo.
Mirificis præuiſa polo portenta figuris
    Omine multa ſuo quæ peritura notent.
Quin hic fatidici plenus quoq; Numinis iſtud
    Commentum uafro detonat ore ſuum.

Iam ruitura ſuis Collegia turribus ambo,
Quæ Nymphæ ſterili uirginitate colunt.
Hoc Mariæ ſacrum, tenet illud more tuendum
Aegidius, propè qui gentibus eſſe ſolet.
Virginibus claris prius, iſtud nobile miſtis
Prominet ad ripas Alphula tarde tuas.
Fama uolans terret muliebria murmure corda
Mæſtifico, ſpacium fit mora longa breue.
Pars manet incumbens penſis precibusq́; legendis
Conceptis, monſtrum nam timet illa graue.
Pars non uſqueadeò timido fugit agmine raptis
Nocte bonis portans hæc Rothomanne tibi.
Seu fuit hæc ſexus miſeri formido, per aſtus
Seu de compoſito res ea geſta fuit,
Non ingrata quidem prauæ ſunt munera Sectæ
Talia Nympharum, quas ut & illa cupit.
Nec dubium quin his meritas perſoluere grates
Formoſis ſtuduit pro pietate ſatis.
Omina ſuccedunt bene primula rebus adeptis,
Cum bona diſpereant luxibus iſta pigris.

Motus

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER III.

TEmpus erat, Bacchi quo iam celebrare quotannis
Feſta ſolent homines talibus apta ſacris.
Iram liberior bene notam Martis aperti
Hactenùs occultam temporis hora facit.
Secta uigil tacitè per noctem præparat arma
Ordine diſponens omnia quæque ſuo.
Cunctaq; circuitu meditans ſibi prælia longo
Præſidio munit proxima tecta foro.
Martia flammiuomis ſtant organa faucibus hoſtes
Aedibus in multis perdere prompta ſuos.
Ecce furens animis loca iam præcepta repente
Secta fori nondum Sole micante rapit.
Vocibus aduerſam telisq; laceſſere partem
Occipit, haud longam re patiente moram.
Omnia perturbans hoſtili more per urbem
Vile Magiſtratum uulgus ad arma uocat.
Conſul id aduertens Caſpar Iudfeldus acuta
Mente uir intereà præuidet iſta uigil.

Accitos liquidas Alphæ feſtinus ad undas
  Ipſe ſuos ſubitò cuncta parare iubet.
Hoc ſtat celſa loco Mariæ ſacra turris in imo,
  Occupat hanc ciuis, ſed fera Secta forum.
Hæc alijs triplo minor eſt, ſed tempore gliſcit,
  Dum grauior tota creſcit in urbe furor.
Vtraq; pars ſua mox munit loca, quærit & arma
  Exacuens factis bella futura ſuis.
E leuibus ciues culmis ſibi quiſq; coronas
  Intortas ſanæ ſymbola partis habent.
Pontibus obijciunt Alphæ munimen, & hoſtes
  Acceſſu prohibent per loca nota uago.
Turricula eſt, Speculæ uero de nomine dicta,
  Vnde uigil longos ſpectet acutus agros.
Iam quoq; multa uomēs globulos ſpeculatur ab alta
  Machina bis fluuio corpora tincta ſacro.
Ciuibus hæc aditus facit arctos, ſepta cathenis
  Cætera feſtina fortiter arte uia eſt.
Duriter armiſono commiſcet prælia motu,
  Et grauis ingenti turba furore fremit.
Illinc tela manu iaciunt, iſtincq; uiciſſim
  Trans medias robur miſſile fertur aquas.
Sæpius infeſtis miſerè concurritur armis,
  Et gladijs ſtrages orta cruenta furit.
„ Tollitur è medio pietas uirtusq;, nec ullum
„   Ius habet in tanta ſeditione locum.

Non eſt

Non eſt ulla ſati reuerentia ſanguinis, iſto
Vinculi coniugij rupta furore iacent.
Hæcq; patrem natus fratrem Germanus in urbe
Opprimit, & ſocerum dura per arma gener.
Abijcit uxorem uir, deſerit illa maritum,
Pars negat hæc matrem, pars negat illa patrem.
Hic ſocio mortem molitur læſus acerbam,
Confodit & notum, proh dolor, ille ſuum.
Vicinumq; priùs charum ferit ille, propinquum
Sanguine uel thalamo proditor iſte necat,
Rebus in his nullum diſcrimen habetur, honeſta
Noxius affectus pro ratione ualet.
Extra naturæ fines rapiuntur ad omne
Immanes ſceleris cæde madente genus.
Crudeli pugnant Phalariſmo ſæuius, atq;
Bella mouent brutis horridiora feris.
Aſpicis inter ſe concordes uiuere canos
Cum grege de magno eſt præda petita, lupos.
Non leo, non tigris, non ſerpens ipſe cruenta
Vix petit ulla ſuum belua cæde genus.
Aſt homo mortali letum molitur acerbum,
Nec rabies ullis acrior ipſa uenit.
Vtraq; pars feruet telis per fulmina miſſis
Horrida, iam ſpecies Martis aperta patet.
Strenua concutiens fugat hoſtes fata timentes,
Cogitur & facta cedere Secta uice.

Nox erat, ipſe ſuis inuadit uiribus hoſtes
Conſul, & hac portas quattuor arte rapit.
Agmine quas ſubitò complens taciturnus & armis
Fortibus hæc animis nocte tenere iubet.
Affore ſubſidium promittit manè priùs, quàm
Lux ortu Phœbi prodeat alma ſuo.
Mitteris in pagos Hieronyme Buſce propinquos,
Et tibi Vuechlerus fidus ab urbe comes.
Illicò per uarios in equis currentibus agros
Ciuibus heì caſſam ſollicitatis opem.
Namq; quater centum noctu ratione colonos
Cogitis ingenti rauca per æra citi.
Excutit his dulcem ſonitusq; timorq; ſoporem,
Et ſibi quiſq; quid hoc nunc uelit eſſe rogat.
Nec mora iam paßim promptißima uilibus omnis
Exilit è lectis ruſtica turba ſuis.
Per uaga ſopitos magalia ſuſcitat ignes.
Hinc media uulgò lucet in æde focus.
Arripit hic hebeti cum cuſpide fortè ſecurim,
Nodoſi baculum roboris ille ſuum.
Iſte breuem ferri clauis firmantibus haſtam
Geſtat, in his quidam nil niſi ſaxa ferunt.
Pars gladios monſtrant tanto ſplendore micantes,
Hos ut uaginis ui niſi nemo trahat.
Eſt alijs neruus niger à fuligine, necnon
Tela, quibus pennæ, nec ſua cuſpis adeſt.

Fammiuomos alij tonitru crepitante colubros
Comportant, latus his curua Machæra grauat.
Hi quoque detrito uenabula ſqualida ferro,
Gæſaq́; cum nodis hi capitata gerunt.
Confuſum rabidam deducitur agmen ad urbem,
Apparent rutilæ culta per arua faces.
Aduolat & Satrapes media de nocte trementis
Vuolbecæ multis huc comitatus equis.
Ingrediens urbem uiſit loca ſacra, uiamq́;
Quærit, ut hoc cauta diſsipet arte malum.
Protinùs accedunt & eodém nobile prima
Sacrorum domini lumina quinque genus.
De re diuerſis conſultant mentibus unà
Difficili, tandem ſumma fit iſta rei.
Intromittendos equites cum Ruricolarum
Agmine clàm citra murmura manè fero.
Cum ſcriptis aderant rubra nocte ſigilla tabellis
A benè ſollicito Principe miſsa uiro.
Quæ dubium fuerint hoc intercepta furore,
An ſuppreſſa graui tectaq́; conſilio.
Res utut eſt, lucem non hæc uidêre micantem
Iuſſa, nec in populo ſunt patefacta rudi.
Quòd ſi fortè ſuo foret hoc in tempore factum,
Hæc minùs huc eſset res reuoluta loci.
Si modò conſilium rationis certa ſupremi
Numinis humanæ fata cauere poteſt.

Exit

Exit ut è thalamis aurora iugalibus, intrant
Omnis eques portas & pedes armiſonas.
Namq; & adhuc binæ, Iudæis ſacra prophanis,
Quæq; uenit Mariæ nomine dicta, patent.
Hæc ubi Secta uidet, ſummittere uertice criſtas
Incipit atra graui quaſſa timore feras.
Vt ſolet oblongas indignans lentior aures
Ipſe ſuas aſinus, cum graue pondus habet.
Vt'ue canis turba ſociorum preſſus iniqua
In ſua mox caudam crura timore trahit.
Igne micant oculi, rictusq; minatur acerbus,
Cum petitur timidus bella mouere prior.
Non celerem tentare fugam, non audet apertè
Hiſcere, dum ſpectans hæc mala tanta cauet.
Paulatim ſeſe ſubducit fraudibus iſtinc
Aſtutis, donec ſpes rediuiua redit.
Sic Anabaptiſtæ ſubmiſſi quærere pacem
Conſtituunt ficta mente minusq; ratam.
Fato neſcio quo percuſſum fœdus utrinquè eſt
Ad portas poſitis pacis & obſidibus.
Hinc abeūt equites, abit hinc grauis ille Toparchus,
Læta ſuos repetit Ruſtica turba lares.
Quiſque domum rediens tranquillam ducere uitam
Sperat, & hæc lætus proijcit arma manu.
Nox erat & denſos occaſus Solis agebat
Huc tenebras, terræ cum tegit umbra polum.

Illa ſua cunctos fuſcabat mole colores
    Cæca, nihil Phœbi luminis extat aquis.
Ecce nihil dubitat ſua ſoluere pacta per urbem
    Et uiolare datam perfida Secta fidem.
Efferа confuſo clamatur ad arma tumultu.
    Laxa tonat miſsis machina dira globis.
In placidum nemo declinans lumina ſomnum
    Dormit, & aſſuetum corporis explet opus.
Inſomnem populus totam cum lumine noctem
    Ducit, & hoc pernox ipſe tremore gemit.
Horret enim faciles adimentia bella ſopores,
    Et uigilat tantis anxia turba malis.
Poſtera cum Titan, radijs diſcuſſerat umbras
    Orta dies luctum triſtitiamq; refert.
Qui uentura canunt, nequeunt requieſcere Vates,
    Quos uis fatidico dira furore trahit.
Curſantes uideas inſano pectore multos
    Vulgò per plateas urbs miſeranda tuas.
Qui magno clamore boent, ò protinus actæ
    Pœniteat uitæ tempore quemque ſuæ.
Quin iterum cœlum ſpectantes horrida fingunt
    Nubibus in medijs monſtra patere uagis.
Nunc lapides labi, nunc fulgura uiſa ſereno
    Aethere, nunc imbres ſanguinis ore canunt.
Omnia ne uulgus mendacia ficta putaret,
    Quod fieri nulla quiuerat arte probant.

E tepi-

E tepida pateris mactati cæde iuuenci
Feruidus excipitur nocte latente cruor.
Imbricibusq; cauis populo mirante per ipſum
Spargitur exorta uix bene luce forum.
Hæc auida ſpectant omnes ſpectacula mente,
Viſaq; conquirunt quid ſibi ſigna uelint.
O miſeri quos dira mouent miracula Gentis,
Quæ phlegethonteis exagitatur aquis.
Pars horret ſimulata uafri mendacia monſtri,
Quòd ſenſere malas rebus ineſſe ſtrofas.
Pars hæc miratur ſtupefacta furore, miſellus
Præcipuè ſexus quod muliebris agit.
Exululans clamare patrem ſine mente frequenter
Occipit hæc uera re, ſed & illa dolo.
Inq; forum ſtreperus celeri ſe turbine confert,
Quod pater ò iamnunc, ò pater omne ſonat.
Illic mœſtificum uoluens ſub corde dolorem,
Hic lachrymas fundens fœmina mœſta iacet.
Hæc leuat ad cœlum teneros cum uoce lacertos,
Illa manu pectus concutiente ferit.
Altum pars onerat faciendis æthera uotis,
Inuolat in crines pars furibunda ſuos.
Eſt & quæ faciem fœdet frontemq; uenuſtam,
Et laniet madidas obſtupefacta genas.
Tinctaq; iam cunctis ſua ueſtimenta cruore
Oſtentant, uiſum nemo negare poteſt.

Triſtia

Triſtia peruolitans grauis implet mœnia rumor,
Sanguine uel ſudo nocte pluiſſe polo.
Conſilium domini captant ſed inane, furores
Captiuum ſanæ mentis acumen habent.
Iamq́; Magiſtratus non ſegniter ipſe laborat
Sollicitus uarijs & magis uſquè modis.
Pluſq́; frequens ſolito de more Senatus habetur,
Ne trepido rerum turbine ſumma ruat.
Illicò conſtanti Iudfeldus pectore cuncta
Accerſi ſapiens munia manè iubet.
Publicus imbutam face currens præco per urbem
Præcipuos triſti conuocat ore uiros.
Vltrò plebis adeſt pars hic quoque maxima miſtæ,
Quam proceres multa pro ratione timent.
Præſentes uaria compellat uoce Senatus,
Et rogat ut dicant quæ facienda putent.
Inde ſua quidam ſurgens homo ſede diſertus
Talia largifluo uerba ſonore facit.
Nemo uiri ueſtrum ſapientes noſtra per urbem
Inſcius eſt quo res uenerit iſta loci.
Plebs agitata furit, ſeu quòd ſic noſtra merentur
Crimina, ſeu quòd res has ſua fata trahunt.
Cõfluit huc populus ſimul hãc peregrinus in urbem
Multa ferens noſtro pernicioſa foro.
Nos doctrinarum nullum diſcrimen habemus,
Verbaq́; falſiloquo quilibet ore facit.

Credit hic hoc, ille illud apertè, tertius iſtud,
Deq; ſacra ſentit Relligione ſecus.
Diuerſiq; fremunt animi, ſibi iurgia creſcunt,
Quæ motus pariunt exagitata graues.
Quod ſi fert animus rabidis non cedere cœptis,
Sub duro miſeri cogimur eſſe iugo.
Iam ſacer ordo fugam parat hinc, abeamus & ipſi,
Cum nequeat tolli noſtra per arma malum.
Præſtiterit cūctas, miſerum quàm perdere corpus,
Diuitias, ratio quas reparare poteſt.
Vita fuit ſemper fuluo precioſior auro,
Pulchrius argento ſplendidiusq; nitet.
Perdita nam ſemel hæc manet irreparabilis ære,
Et fugit in multos non reditura dies.
Quid melius uita, uita quid peius eadem?
Si uolet auerſo degere quiſque Deo.
Hæreſis hic regnat uetus inſtaurata per iſtos,
Dogmata qui linguis prodigioſa ſerunt.
In uarios magis errores ſua quemque libido
Pertrahit, & ſtimulis concitat illa ſuis.
Tetra quis hæc hominum rabientum facta libenter
Vir bonus, & tales perferat, oro, ſues?
Si pius in pelago quiſquam ſibi nauiget alto,
A tranſtris homines optat abeſſe malos.
Nam uidet horrendas propter peccata procellas
Ingruere, & naues damna tuliſſe ſua.

Turbi-

Turbidus æquor agens Orientis ut Eurus ab oris,
Sic atro Zephyrus ueſpere uectus adeſt.
Sæuit & hic geminis Boreas truculentus ab Arctis,
Nubifer aduerſis irruit Auſter aquis.
Fit graue naufragium ſpem proijciente Magiſtro,
Mutua dum ualido turbine bella gerunt.
Cum reprobis rapit innocuos, uoluitq; ſub altis
Fluctibus, eliſa cautibus unda rate.
Haud aliter ſe res habet hæc, uenit omnibus æqua
Sors, homines quando ſeditione fremunt.
Iam capiti noſtro ferus imminet enſis aperte,
Et nobis celeri mors uenit atra pede.
Nullum certa ſalus, nullum pax alma ſequetur,
Si ſemel in noſtras inuolet hoſtis opes.
Quid conetur enim rerum furialiter iſta
Omnibus, hei, nobis turba cruenta patet.
Hei mihi, quãtus erit furor hic, ubi fortè prophanus
Effuſo prædas ſanguine cœtus aget.
Quantas cernere erit ſtrages, quantasq; ruinas
Vrbis, quantus erit tum ſine fine dolor.
Quid parui (miſerùm) fida cum coniuge nati?
Quid faciet quando uiderit iſta pater?
Horridus uxores miſeras furor auferet, atque
Proſtituet populus uictor in urbe ferus.
Quin rapiet noſtras ad ſtupra furenter aperta
Filiolas, nec honos uirginitatis erit.

Quis noſtrum ferat hanc ſpeciem, quis talia quæſo
Spectans in ſua non fata furore ruat?
Imò ſemel meliùs fuerit ſuccumbere leto,
Impia quàm Iuſtos crimina ferre uiros.
Huc uerò rabidi fera uenit turba furoris,
Vt nihil humanis uiribus efficias.
Nec rata ſumendis mihi iam ſpes hæret in armis,
A ſummo pendet Numine noſtra ſalus.
Nos decet agnouiſſe Deum peccata fatentes,
Et doleant uera pectora noſtra fide.
Mentibus hunc totis ſimul imploremus amico
Auſpicio noſter CHRISTE patrone tuo.
Noſtraq; fidentes bona committamus, & ille
Pro natis pater hanc rem gerit ipſe ſuis.
Ergo agitè ut breuis eſt nobis occaſio, quiſque
Conſulat effugiens monſtra timenda ſibi.
Maturate uiri, rogo, dum licet, omnis ubique
Tempore res apto ſemper agenda uenit.
Dixit, & inſpecto conſeſſu ritè reſedit
Hoc propè, quem paulò liquerat antè, loco.
Alter & hinc fidei ſpectatæ prodit, apertè
Pectoris ut dicat candida ſenſa ſui.
Lumina defigens terræ, paulumq; moratus
Omnibus hæc acri pectore uerba facit.
Quanquam cuique licet de noſtris dicere rebus,
Si modò ferre ſuo tempore poſſit opem,

Pace tamen ueſtra mihi, quæ mens candida ſentit,
Obſecro concedi paucula uerba loqui.
Qui uo'et haud uanis ſapienter credere dictis,
Auribus hunc ſurdis non decet eſſe mihi.
Magna uiro fluit huic facundæ copia linguæ,
Quæ niſi de pleno pectore nulla uenit.
At diuerſa placet multis ſententia, namque
Quid trepida poterit turpius eſſe fuga?
Nonne uiri fugere eſt timidi, nihil amplius uſquam
Nobis uirtutis, nil quoque laudis ineſt?
Nam pia charorum retinenda eſt cura parentum,
Quoſq; genus donat, copula quoſq; parit.
Et bona, cum pueris uxorq; pudica creatis,
Et domus à magna mente tuenda uenit.
Quid? quòd in orbe bonus patriæ qui defuit unquã
Vitalis nemo lucis amore fuit?
Fortibus uſquè uiris re ſic poſcente libenter
Eſt pro Natali mors obeunda ſolo.
Quòd plebs mota furat, ſit noſtrum cauſa licebit
Crimen, ut has pœnas nos meruiſſe putet,
At ne ideo Deus hãc quatit urbem, ſummaq; noſtræ
Stare ne Munſteri culmina, fata uetant?
Quin magis in culpa eſt hæc hæc ignauia, necnon
Diſſidium pariens cuncta furore mala.
Conſilij nobis nihil eſt, ſed quiſque profectò
Oſcitat, & nullum ſollicitudo mouet.

Vera nec eſt pietas curæ, neque publica cuiquam
 Res,modò quiſq; ſuas improbus auget opes.
Hinc facilè inuadunt peregrini noſtra ruentes,
 Frigore dum gelido corq́; manusq́; rigent.
Si quid priſcorum ſolidæ uirtutis auorum
 Viueret in nobis,res ſecùs iſta cadat.
Pectoribus quæ ſint ſimul excutiamus apertis
 Vera, nec hic quiſquam diſsimulanter agat.
Qua nos ſpe,rogo,tam ſecuri ſtertimus omnes?
 Vtraq; quod ſemper dormiat auris habet.
Pulſati tandem capimus ſpem conſiliumq́;,
 Et data duntaxàt nos mala damna mouent.
Quid leges & iura boni,quid & enſis acutus,
 Quidq́; Magiſtratus,quid,precor,arma ferunt?
Si minùs his tantæ tollantur crimina culpæ,
 Libera ſi uis hæc ſeditioq; furat.
Nec reor hoc cœtus abituros tempore ſacros,
 Cum noua quò ceſsent dogmata, ſemper agant.
Quod ſatiùs ſit opes etiam nos perdere cunctas
 Quàm caput,hoc ſi res ſubſit honeſta,probo.
Sin auidi tantum ſpectantur commoda uulgi
 More,mali ſenſus & rationis erit.
Hîc inimica Deo geſtare quis inſuper optet,
 Quæſo,ſub immani pectora gente pius?
Noſtra per arma ſed his autem citò peſtibus urbe
 Purgata,nobis quis,precor,hoſtis erit?

Seda-

Sedatis populi furijs pellamus ad unum,
Qui leue ſeducunt uulgus amore ſui.
Sic fortes urbis domini retinebimus omne
Ius noſtræ, nec erit motibus hiſce locus.
Hoc neque dogma pias poterit corrumpere mentes,
Quod miſeris toto cædibus orbe furit.
Si quid habet doctrina boni renouata, probetur,
Si quid habet uitij, protinùs omne ruat.
Nam modò ſi pariter leni cunctabimur, iſta
Surget in immenſum res furioſa malum.
Omnia uoluentur miſerandis cladibus, atque
Omnia conſperſo ſanguine tincta cadent.
Quis poterit tales animo tolerare furores
Aequo, qui mentis ſit modò compos homo?
Quam canit Aſcræus ſapientis bella Promethei
Fabula, nos omnes iſta cauere monet.
An non & fatuum uiſis Epimethea morbis
Pœnituit facti ſeriùs idq; ſui?
Sera uenit Medicina tibi, ſi uiuida uexat
Immodicus duro tormine corda dolor.
Sed taceo quæ multa docent Exempla per orbem
Hoc clarè, ſi res nunc pateretur, idem.
Nam minùs hæc uerbis agitur dilata ſerendis,
Sed citò conſilijs eſt adhibenda manus.
Auxilio nobis Vualdechi principis omnis
Vis aderit, dictis ſtat pius ille ſuis.

Nulla fides hoſti, quoties iam fœdera pacis
Compoſitæ turbans fregerit, an'ne patet?
Res neque conſilijs, neq; Legibus iſta ferendis,
Sed forti tantùm Marte gerenda uenit.
Nos armis, numero, cauſæ bonitate potentes
Vincimus hunc, quid nos occupat, oro, timor?
Quare ſi uideor uobis memoraſſe quod ad rem
Hanc faciat, dictis ſit mora nulla uiri.
Protinùs huc iuuenesq; uirosq; uocemus & arma
Demus, ut his cœptum corruat hoſtis opus.
Nosq́; uiros hodiè ſolidis pro uiribus omnes
Præſtemus, patriæ ſicq́; feramus opem.
Si iuſtis focus eſt pugnis retinendus, & aræ,
Hic obitus nobis non inhoneſtus erit.
Sin uerò, quod ſpero magis, res ſalua futura eſt,
Incolumisq́;, Dei, uita manebit, ope.
Almaq́; fortibus huc armis quæſita redibit
Pax, ſecùm nobis omnia læta feret.
Sic fatus flexitq́; genu, uocemq́; repreßit,
Et ſua quæ fuerant tempora nuda tegit.
Conſulit hic merito bene rebus honore gerendis,
Mitia ſed uires uota prioris habent.
Tum ſonus in liquidas uarius diſpergitur auras,
Singula dum repetunt quæ docuere uiri.
Hinc animis oritur grauior diſſenſio, iamq́;
Horridus accenſo flagrat ab igne furor.

Intereà ſapiens hic dum ſibi quiſque uidetur,
Auctior in populos impius error abit.
Vt ſolet infectis cancer proſerpere membris
Latiùs, & maculis tota tenere rubris.
Corruptam carnem grauis exedit undiquè,partem
Dum ſanam ſecum corporis ægra trahat.
Aut uelut immenſo Luna redeunte propinquus
Accola iam Ponto feruere ſentit aquas.
Seu fluuios niuibus lapſis de montibus altis,
Quas radijs Phœbus ſoluerit ipſe ſuis.
Aure ſonos capiens ſecum deliberat iſtinc
Quò fugiat,corpus ſeruet ut ille ſuum.
Dum malè cunctatur tumidis citò uiribus auctis
Vorticibus fluctus ſe properanter agit.
Irruit & miſerum conuulſis ædibus,omne
Funditùs & ſtabulum cum grege cuncta trahit.
Hæc undis mergit rapidis, uoluitq; procellis,
Et quocùmq; libet,ſic agitata rapit.
Tota furens animis fremit arma Iuuentus, & omnis
Cui calidus ſolido pectore ſanguis erat.
Et quibus una manet motos ſedare tumultus
Cura, nec hæc factis impia Secta placet.
Nec mora de ſummis laquearibus alta petuntur
Spicula, quæ manibus cætera mente gerant.
Tela rapit, furit accurrens armata Iuuentus,
Atque iuuat fortes induere arma uiros.

Hunc ſua culpa premit, quoſdam fera ſuſcitat iras,
Iſtorum gelidus corripit oſſa tremor.
Collecti tenet hos Theſauri cura, recurſans
Illis in mentem nunc uenit alta domus.
Pars ſibi dilectæ meminerunt coniugis, atque
Natorum, medijs qui iacuere malis.
Suauis amor patriæ multos dementat, & arma
Iam capienda manu, iam remouenda iubet.
Sic dubijs res eſt curis agitata per urbem,
Hac ut conſumptus ſit ratione dies.
Frangitur hic ſomno conceptæ feruidus iræ
Impetus, & longa defluit ille mora.
Secta nihil ceſſans noctesq́; diesq́; per urbem,
Molitur factis bella cruenta ſuis.
Nam numerus creſcens animum facit omnibus, unde
Spes alijs tali fracta furore cadit.
His uiſis ſeſe ſubducens omnis ab urbe
Nobilitas procul hac iam generoſa fugit.
Et bona pars hominum rapiens ſibi turbine pauca
Ex opibus rapido pluribus illa ſuis.
Iam uideas plenam magnis plangoribus urbem,
Cum furit horrendis res rabioſa malis.
Iamq́; gemit plateas canorum tarda per omnes
Turba ſenum, robur quos uetus omne fugit.
Hic baculo incumbens infirmos ſuſtinet artus,
Ille tremens annis deficit uſque ſuis.

Nam

Nam ſolet exiguis ita repere uiribus, atque
Incedit tremulo curua ſenecta gradu.
Sed neq; conſilijs ualet illa prioribus alti
Pectoris, acta grauis uincit honeſta furor.
Magnáq; concurrens glomeratur copia matrum,
Ipſa domum charæ filia matris adit.
Cum nata genitrix, nurus & ſocrus iſta querũtur
Bella, furor niſi quas ſeparat iſte magis.
Protinùs effuſim præſentibus agmine Nymphis
Conueniunt auidæ ſcire quid iſta ferant.
Garrula mox uulgò crebreſcunt murmura latè,
Dum gemitus ædunt uoce querente ſuos.
Omnia ſunt miſeris iſtic loca plena querelis,
Quælibet iſtarum dum ſua fata gemit.
Tempora deplorant cunctæ nimis aſpera, quarum
Ex oculis largæ defluit imber aquæ.
Virgineus pauitat chorus omnis, & illa recenſet,
Quæ, mala, ſint cunctis mox toleranda bonis.
Non conſueta timent innuptæ bella puellæ,
Sola quibus curæ Cypria læta fuit.
Exactæ cupiunt ſibi reddi tempora uitæ,
Expers quæ talis tota doloris erat.
Sed magis illa fuit feſtiuis luſibus, atque
Laſciuis ſemper pluribus apta iocis.
Suauibus, ut riſus, cum uerbis, baſia, nugæ,
Et iucunda ſuis cantio miſta choris.

Cumq;

Cumq; proci mœſtæ meminere furentis in hoſtem,
Quàm rerum facies hæc odioſa fuit.
Plorat quæ charo fuerat deſponſa marito,
Et thalamos auidi iam ſubitura uiri.
Paruæ præ nimia charos pietate parentes
Complexu Nymphæ uoce querente tenent.
Maximus & uacuas puerorum clamor in auras
Tollitur, apparet luctus in urbe grauis.
Quin & propoſitum quæ uirginitatis habebant
Perpetuæ, largis fletibus ora rigant.
Quædã, nos miſeras, dicunt, quid honoris habendũ
Irrita ſi faciet uota pudoris amor.
Altera per ſtudium perijt dos noſtra parentum,
Nil ſupereſt hoc ſi prima furore ruet.
Ad mala ui multis rapiemur ſtupra ſorores,
Noſtra nec unius formà procantis erit.
Aſt uiridis quibus eſt annis florentibus ætas,
Id ſimulant uultu, gaudia mente premunt.
Præcipuè ſi quas rudium per iuſſa parentum
Turpiter inuitas lex malè ſana tenet.
Confiſæ dubijs cunctantur rebus, & illæ
Suſpenſo repunt ad loca nota pede.
Pars abit hinc, pars ſpem retinens fouet, ipſaq; curæ
Res hîc tam miſero tempore cuiq; ſua eſt.
Mollibus aſſueti rebus, quibus omine nomen
Appoſitum certo Regula danda parit.

Et ſua

Et ſua qui certis onerant altaria dictis,
Hic faciunt quæſtu dum ſtata ſacra ſuo.
Corpora quiq; ſuis reddunt obnoxia uotis
Ritibus electis, ut dape, ueſte, loco,
Vt ſenſere minis populum feruеſcere tantis,
Vitant augurio bella futura rato.
Sedibus incertis diuerſa per oppida terræ
Vueſtphalicæ quærunt hoc meliora ſolo.
Hinc ſacra mōſtrifico Monachis comitantibus urbē
Deſerit oppletam Turba furore uagis.
Deteſtantur eam Barathri, quam ſceptra tenenti
Edidicit prauam Turba ſub hoſte fidem.
Eminùs expectant tanto de turbine rerum
Finem corda graui concutiente metu.
Interdùm ſuperat ſpes hos malè certa timores,
Qui ſimulác redeunt, rurſus & illa cadit.
Nec, quò ſe nunc uertat, habet, timet omnia quamuis
Tuta ſacerdotum pulſa furore manus.
Sic Deus oblitos monet omnes muneris huius,
Cùm ſinit has fieri per mala tanta uices.
Hoc Exempla docent cuiuis manifeſta legenti
Scripturas animo candidiore ſacras.
Dedita quæ fuerat Muſis diſpergitur, atq;
Vix reditura procul tota iuuentus abit.
Rerum magna bonum pars hic ex ciuibus harum
Sperans euentum non capit inde fugam.

Artifi-

Artifices operum, fabricas quia dura mouerė
Res foret hinc fixas compoſitasq́; , manent.
Damna reformidant iam parua, furoribus auctis
Paſſuri longė mox grauiora malis.
Nam magis atque magis furias agitata per atras
Omnia molitur perdere Secta ferox.
Prodigiũ. Dat Deus ė cœlo cladis manifeſta futuræ
Signa, ſed hæc nihili gens furioſa facit.
Namque ferunt rutilos ignes cecidiſſe ſub atra
Nocte, procul turris culmina ſumma patent.
Hi ſe paulatim ſpargebant latiùs, ut quos
Lampades à forma iure facem'ue uoces.
Horrida flamma trahens ſecum ueſtigia parte
Eminùs ardenti longa priore facit.
Principio Pauli ſummo de culmine Templi
Omina flagranti clariùs igne micant.
Viſa ſed his ſenſim latė ſuper ædibus atra
Sidere, quæ turri proxima tecta tenent.
Longiùs apparent uolitantq́; per æthera flammæ
Lucida reddentes hæc loca luminibus.
Donec & hæ tandem tenues ſoluantur in auras,
Quas agit extincto fumus ab igne niger.
Talia portendunt turbatæ ſigna flagrantes
Vrbis ſedandas dura per arma faces.
Sexta dies aderat, poſtquam ieiunia more
Iuſſa patrum ſolito corpora noſtra grauant.

Secta coit rerum de ſumma cominùs harum
Conſultura, caput plebis habere placet.
Namque uagos cernunt homines, neque certa tenere
Munia, quæ ſtatuunt eſſe neceſſe geri.
Seq́; Magiſtratu non poſſe carere, fluentis
Cùm rapidè uulgus more feratur aquæ.
Vertitur ergo uiris prior his ſententia, quippe
Omnia ſuſtulerant ciuica iura priùs.
Vera fit hoc ubi non regnat ſapientia, uerùm
Dementata ſibi turba furore placet.
Scilicet hæc adimunt alijs, ut parta doloſis
Ipſimet ſoli fraudibus illa gerant.
Hic grauis Henricus multis Rhedecherius annis
Qua potuit clamans talia uoce canit.
Hactenùs hæc iuxta carnem malè fecimus, at iam,
Spiritus ut dictat, ſunt peragenda, uiri.
Hoc dicto, ponuntq́; genu, patremq́; frequenti
Ore uocant, totus perſtrepit inde locus.
Tunc ab humo uates ſeſe cum murmure tollunt,
Et proceres binos nomine rite uocant.
Conſulis officio dignos proclamat eoſdem,
Vt populo præſint, eſſe, propheta uiros.
Hos Vrbis fore rectores hoc tempore, donec
Cœlitùs hîc aliud iuſſerit ipſe pater.
Hoc tamen excepto, ne quid ſibi præter apertos
Vatum conſenſus inſtituiſſe queant.

At niſi ſelecti de plebe, iubentq; uoluntq;,
Vt paribus uiuat cætera turba modis.
Mutua condonent inter ſe debita fratres
Omnia, nil proprij Iuris habere decet.
Si quid Sacrilegis debetur Gentibus, illud
Quattuor exoluant omnibus ære ſenes.
Cnipperdollingus ſimul & Chippenbrochus uno
Ore creatus abit Conſul uterque grauis.
Hiq; poteſtates, alias pro tempore, quod res
Conſultis ſtatuunt uatibus, ipſa petit.
Iamq; Magiſtratus cunctis nouus acer in hoſtes
Audaces animos ſpe meliore facit.
Hic iubet ut populus noctesq; diesq; ſit omnis
Promptus, & una ſuas aptet ad arma manus.
Ille libens totus promittit ubique paratum
Se fore, cum Martis res flagitabit opus.
Quiſq; domum ſpe plenus abit redeuntibus umbris
Noctis, habet ſomnus corpora rara breuis.
Illicò dant certum Martis cum turbine ſignum,
Horriſono latè machina dira crepat.
Exiliunt omnes abeunte ſopore grauatis
Ex oculis, bellum Secta cruenta parat.
Altera pars latebras tam quærere cogitur, atq;
Cedere, ſi uitæ uult memor eſſe ſuæ.
Aedibus è multis furibunda caterua ruendo
Prodit, & hoſtiles incutit enſe metus.

Inſtaduntq́; noui prætextu dogmatis urbem,
Vt ſpecie cunctas hac populentur opes.
Sic furit hæc ubi iam ſibi nil formidat ab hoſte,
Et numero creſcit turbida Secta ſuo.
Eſſe feris certos iam ſtrictis enſibus Vrbis
Omnibus in uicis magne propheta iubes.
Hi notis multo ſtipati milite ſignis
Explorant cuias quilibet eſſe uelit.
Hoſtibus actutùm confoßis, parcitur illis,
Quotquot mox eadem reddere ſigna queunt.
Conſilijs proceres Sectæ conſumere noctem
Non dubitant, tantæ res ea molis erat.
Lux erat, en magnus petit ædes conſulis ille
Vates dicturus iuſſa paterna minor.
Maxime conſul, ait, deſertis mœnibus hoſtis
Se noſter certa colligit arte foris.
In primis mihi res ſeſe tulit, eſſe reuelli
Vtile tectorum proxima quicquid habent.
Cingere quin ſi quis nos, hanc meditatur & urbem
Militibus, factum proderit eſſe priùs.
Recta mones, dixit, iußis parere neceſſe eſt
Cnipperdollingus, ſancte propheta tuis.
Illicò non paruum ſolito de more uocatum
Agmen eò mittit lætus ab urbe ſuum.
E portis curſant longè latéq́; furentes,
Et faciunt hilari pectore iuſsa uiri.

Omnia uaſtantes igni populantur & armis,
Quæ ſibi tutandis rebus obeſſe queant.
Robora ſtatilium certatim dura molarum
Alta ſuo turbant collabefacta loco.
Tectaq;, ne noceant ſibi, quæ ſunt proxima phano
Mauritij flammis Templaq; ſumma cremant.
Vulcano creſcente magis per flamina uenti
Fortia lambit edens arida ligna feri.
Hinc geminæ turres fundamine ſubtùs aduſto
Longè labentes igne micante crepant.
Hinc rapiunt rerum quod erat, ſic lætus ad urbem
Quilibet has prædas ore canente uehit.
Altera lux aderat, uates abolenda per ignem
Omnia diuino ſcripta furore canunt.
Omnia qui faciat poſthac ſit ſpiritus, iſtis
Nil opus externis omnibus eſſe libris.
Scrinia malleolis franguntur forcipibusq;
Omnia, quæ chartas quaslibet ipſa tenent,
Partim diſruptæ, partim crepitantibus illæ
Subiectæ flammis diſperiêre feris.
Sic ſtudij rabidos omnis congeſta per hoſtes
Eſt uiduata bonis Bibliotheca ſuis.
Noctes atq; dies hominum monimenta priorum
Peruigilata graui cuncta labore cremant.
Quæ tamen his multùm magno ſub honore gerendis
Rebus in humanis utilitatis habent.

Siue

Siue ſacras animæ res tractent illa ſalutis,
Commoda ſeu teneant corporis apta bonis.
Effractisq́; libros lacerant Theodore repaglis,
Qui dubius falſo diceris ore, tuos. Theodorus Zuiuil Typographus.
Exedit auriferos Rationum flamma libellos
Noxia, nec ſcriptis parcit auara ſacris.
Quæque fidem pacti confirmat, aduritur, & quæ
Conſcia contractus litera teſtis erat.
Cerea nec clauſas nec plumbea ſigna tabellas
Defendunt, nimius ſoluit utrumque calor.
Erroris furioſa grauis res tota per urbem
Et damni dominis cauſa futura ſuis.
Sacrilegiq́; die ſpoliant delubra ſequenti,
Et rapiunt auri quicquid & æris erat.
Ex adytisq́; ſacris capſas & uaſa figuris
Aurea cælatis quæque reperta trahunt.
Oßaq́; ſanctorum nitidis concluſa locellis,
Et quicquid ſpeciem Relligionis habet.
Hæc in humum fundit rabioſa mente, prophano
Et pede conculcat turba maligna ſuo,
Nec, ſacra quæ ſibi res petit, ornamenta relinquit
Ad quos facta micant uſibus illa ſuis.
Iam ſpoliata ſuis pereunt altaria mappis,
Exuiturq́; ſacris arca referta bonis.
Omnia furciferi ciſtis uiolenter apertis
Abripiunt, pietas iſtud habetur opus.

Fit breuis iſtorum diuiſio grata bonorum
Omnibus, hinc auidis mentibus iſta trahunt.
Miles habet partem ſibi, partem fœmina corpus
Vt decoret lepida ueſte ſuperba capit.
Franguntur uitreæ, quibus eſt pictura, feneſtræ
Addita, tam Sectæ non placet ille color,
Præcipuè tibi quam poſito de more ſepulchro
Sumptibus ornaras Erice Saxo tuis.
In partes ſtatuæ feriuntur cuſpide multas,
Integra non altis extat imago locis.
Organa fracta iacent, teneras quæ dulcibus aures
Cantibus exhilarant, dum manus apta regit.
Ingenio & docti factum ruit arte Magiſtri,
Annua mobile quod tempora monſtrat, opus.
Eruta quid memorem ueterum monumenta uirorũ,
Per quæ grata ſuis fama ſuperſtes erat?
Buſtaq; quid referam manibus uiolata prophanis?
A quibus, ut muri ſint uice, ſaxa ruunt?
Spiritus addubites an cœlo miſſus ab alto
Hos agat, ut iactant, an Phlegethonte magis.
Hanc rerum faciem ſi quis ſpeculetur, acerbè
Protinùs offenſum ſentiat eſſe Deum.
Poſtera cum roſeis aurora coloribus exit,
Grando, niues denſæ, uentus & imber erant.
Iam uideas multos plateas curſare per omnes,
Dux quibus eſt uates nomine Buculides.

Talia turbatam clamantes uerba per urbem,
Qua potuere ſua uoce furente ſonant.
Ecce quid hæc ſibi uult tempeſtas horrida tantis
Cum niuibus, reſonũ murmur, & unda grauis?
An non tota ſuo rerum natura uidetur
Iraſci uobis iſta colore, precor?
Num patris hæc ſummi certißima ſigna furoris
Cernitis ò cæci, pectora dura, uiri?
Vos hæc monſtra petunt, qui rebus obeſtis agendis,
Cum pia nolitis noſtra timere ſacra.
Nec placidi nobis ſubmittere corda, nec aures
Continuò ueſtræ iuſſa uerenda ferant.
Vos uel noſtra ſequi correctos dogmata mandat,
Vel pariter ſancta cedere ab urbe iubet.
Aut emendati rurſum baptiſma uolentes,
Aut trepidam celeres hinc capitote fugam.
Nam quibus accepta eſt, feret hæc doctrina ſalutẽ,
Sed quibus eſt odio, cauſa cruoris erit.
His actis repetunt alios fulgentibus armis
Accinctos, ſummum quà caput urbis erat.
Aduenit in medium uates grauis agmen anhelus,
Cui fluidus toto corpore ſudor erat.
Vtq; locum ceßit, miro ſub honore ſalutat,
Denudatq; ſuum tota caterua caput.
Vota facit: laudantq; uirum pietate uerendum
Inſigni, feriunt atria magna ſoni.

Illicò ſecretum petit hic concluue, ſuoq;
Labitur in gelidam more ſupinus humum.
Sic diuina ſuis oracula captat agenda
Auribus, haud halitus ducitur ore leuis.
Intereà reliqui cunctantes iuſſa prophetæ
Stant foris, & longo tempore cuncta ſilent.
Exilit attonitus tandem, plenusq; furoris
Fatidici loquitur talia uerba ſuis.
O pia turba nouo rurſus generata lauachro,
Quæ malè nil quicquam iam ſtatuiſſe queas.
Hæc eſt ſola patris noſtri, mihi crede, uoluntas,
Hoc iubet, hoc mandat, præcipit, urget, agit,
Hac procul ut ſancta iam quiſque fugetur ab urbe,
Talia qui præter fas fera bella ferit.
Hæc ſedes pacis, ſimul & pietatis, & iſtic
Sancta nouæ tantum regna Zionis erunt.
Aeterno pia Gens hæc tempore ſola gubernet,
Sed procul hinc fugiens impia turba ruat.
His rabido dictis exardet Secta furore,
Bellaq; nil præter ſanguinolenta crepat.
Ignitos fundens globulos rapit arma potenti
Cuncta manu, ſponte nec manet illa ſuæ.
Non aliter quàm ſi canis irritetur, hianti
Stat rigidis rictus dentibus ore minax,
Lumina ſcintillant rutilis flagrantia flammis,
Cum tua morſurus ſtringere crura cupit.

Et ua-

Et uaga bacchando tota concurſat in urbe
Vociferans, reprobi cedite quiſque pijs.
Veſtraq́ iam nobis abſint commertia, ſanctos
Et prauos eadem ianua ferre nequit.
Nil tenebris cum luce, pater uult iſta ſupremus,
Qui punire malos hac ratione iubet.
Hæc ubi pars diuerſa capit miſeranda, ſalutis
Spem lapſis animis abijcit illa ſuæ.
Obſtupet exhorrens tanto concuſſa timore,
Cui gelidus currit dura per oſſa tremor.
Nec mora mœſtificis auellitur inde querelis,
Et fugiens gratos deſerit illa focos.
Aedibus à notis lachrymans inuita recedit
Omnis quæ pacis pars ſtudioſa fuit.
Corripit hæc quædam deportans pauca, relinquit
Quæ poſſent longam pondera ferre moram.
Hanc neq́ tempeſtas niuium, neq́ uentus & imber
Hanc non impediunt frigora ſæua fugam.
Non accincta uiæ ſeſe ſubducit & aufert,
Iſto res ut ſe tempore dura dabat.
Exilium domibus præfert ſimul urbe relicta,
Acceptisq́ ſuis prolibus illa fugit.
Attamen hic quicunque ſuas ſe poſſe tueri
Sperat opes, tardum non mouet inde pedem.
Vxores quidam miſeras ſobolemq́ minorem
Vana decepti ſpe remanere iubent.

Quarum pars tandem rabido gliſcente tumultu
Sponte fugit, pars hoc clauſa furore dolet.
Nec fore quis potuit tantos præſcire furores,
Quos minimis ortos fontibus eſſe patet.
Accidit hoc etiam Nymphis compluribus, hic quæ
Perpetuæ uotum uirginitatis emunt.
Quædam proſiliunt, reliquis cunctantibus omnem
Euentum perijt luſibus ille pudor.
Virginitas impura manet quæcunq; coacta eſt,
Quam neq; murorum, nec ſua ſepta tenent.
Vltrò ingens populi fex lenta moratur, ut ad ſe
Attrahat urbanas, ſi modo poßit, opes.
Fœmineos hæc ſpes tenet atra chorosq́; uiriles,
Lumine quos uirtus haud mouet ulla ſuo.
Inuaduntq́; domos locupletum, clauſa ſecuri
Arca ſeris ſubitò frangitur ipſa ſuis.
Quæritur argentum ſtudioſè, quæritur aurum
Omne magis, tendit totus ad iſta labor.
Nec mora cunctorum direptio uaſta bonorum
Conſequitur, finis præda furoris erat.
Hinc eſt cur ſeſe baptizent rurſus, & unum
Eximiæ ſimulent hi pietatis opus.
Ore uorant auido quæ forſan in urbe reperta
Cuncta boum necnon pinguia terga ſuum.
Abdita promuntur generoſi munera Bacchi,
Et bibitur certa factus ab arte liquor.

Dant

Dant operam genio prædiſq; fruuntur opimis,
Ceu uacua ingenuæ pectora mentis agunt.
Dona uelut magno congeſta labore calentum
Si legat ignauus mellea fucus apum.
Hinc quoque uæſano cuncti famulantur amori,
Capta quibus fallax corda Cupido rapit.
E ſexuq; genus muliebri molle uiroſum
Corpus, nec precio, proſtituiſſe iuuat.
Nempe quibus curæ ſunt luxus, pluma, uoluptas,
Eſt odio ſed agens durus honeſta labor.
Hinc abeunt ſani, remanet ſentina malorum,
Fœda quibus tantum Secta retincta placet.

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER IIII.

TAlia iamdudum Vualdechus ab omine fata
Heros præſenſit rebus ineſſe ſuis.
Tota mali ſtupet huic ſua mens præſaga futuri,
Signaq; uenturæ cladis aperta uidet.

Anxia de mœſto ſuſpiria pectore ducit,
Cura quod huc illuc ſæpius acta trahit.
Non oculis requiem uigil hic nec corde capeßit,
Menſa nec ulla uirum, nec mera uina mouent.
Viribus exhauſtum malè languet debile corpus,
Deſtituit ſolitus pallida membra color.
Quiq; uigor fuit antè perit, neq; mentis acumen,
Nec ſatis officium pesq; manusq; facit.
Tanta fuit ſacris pro rebus & urbe fugatis
Ciuibus huic timidi ſollicitudo patris.
Iburgo neque ſe præcelſa continet arce,
Cœperat ut tanti præſcius eſſe mali.
Nec modò per uarios explorat cuncta miniſtros,
Sed labor haud ipſum quò uocat ire piget.
Ipſe ſuas magnis luſtrare laboribus urbes
Nocturnis raro lumine pergit equis.
Atque ſuis precibus, ſcriptisq; minisq; laborat,
Promouet at uirtus uicta furore nihil.
Quin pars hunc uotis liuore furente malignis
Oppreſſum cupiunt dura per arma nece.
Præſidis, heì, tantis meritis à plebe ſuas res
Perſolui precium non capiente ſolet.
Certior utque fuit de cunctis rebus apertè
Factus, de tantis cogitat uſquè malis.
Vrbibus ut rectè cunctis ita conſulat, & ne
Res ſibi bellifica poſtulet arma manu.

Hæc

Hæc tandem loquitur ſecum, Deus ô Deus iſtud
Quid ſibi uult? an ſunt omnia plena dolis?
Conſpicio noſtram feruere tumultibus urbem,
Primas Vueſtphaliæ quæ tenet una meæ.
Ponderis hem nihil hos monitus habuiſſe, nec ullum
Hem graue conſilium, nec ualuiſſe preces?
Nec quòd in omnia me, ceu Proteus, ſponte uoleſq;
Mutaui cauſa pacis ubique bonæ.
Quàm mihi nunc inuiſa uenis fortuna repentè
Lumina ſurripiens turbine noſtra tuo.
Nam mihi conturbas rationes protinùs omnes,
Et retrahis uitæ gaudia tota meæ.
E heu iam quantis agitatur noſtra procellis
Cymba, quis his portus, quæſo, petetur aquis?
Vt generoſa graues capiunt citò pectora motus,
Sic placabilior cordibus ira ſubeſt.
Quarè iam poſitis genibus cum mente, ſimulq;
Hæc manibus iunctis more precantis ait.
Tu pater omnipotens conatibus annue iuſtis,
Frangere nam cupimus quod tuus hoſtis agit.
Duriter afflictos ob IESVM *reſpice natum,*
Vtile qui nobis omine nomen habet.
Purgatis noſtro cingentibus æthera Nymbis
Lux Euangelij tempore clara micat.
Suſcitat hinc ſeſe grauis aduerſarius ille,
Qui princeps mundi regnat ubique mali.

Verſat

Verſat & humanæ totum Rationis acumen,
Et canit illa, ſibi quæ caro blanda cupit.
Spiritui facilis uenit hinc uictoria prauo,
Miſceat ut cunctis dira prophana ſacris.
Hi tua conculcant magno præcepta furore,
Et tua contemnunt candida iuſſa nigri.
Omnibus inuadunt noſtras cum finibus urbes,
Cunctaq; nunc miſerè, uàh, bona plebis agunt.
At mea forſitan hanc meruerunt crimina pœnam,
Et tanti cauſam facta doloris habent.
Iudicio ſedenìm tecum contendere iuſto
Quis uelit è tali ſemine natus homo?
Hinc mea per ſanctam cognoſcens crimina legem
Te ueniam ſupplex cum prece poſco Deus.
Quis ualeat noſtrum tantos compeſcere motus,
Ni noſtris adſis uiribus alme pater?
Hìc tua res agitur, propriam tu ſuſcipe cauſam,
Et defende tuum fortiter, oro, decus.
Incipe ſanguineam diuino robore pugnam
Hoſtibus exonerans mœnia noſtra tuis.
Etſi quæ gerimus, cùm ſint diuerſa, profectò
Hæc duo flagitium munia grande fouent.
Quin quoq; qd' multis modò thus adolemus in aris,
Multaq; ſynceræ nil pietatis habent.
Hìc tamen ex animo fieri ſacra debita poſco,
Et cupio Verbum regnet in orbe tuum.

Si te ſollicitans miſer, hei, homo ſemper adoro,
Atque meas imo pectore fundo preces.
Si meritum gratæ tibi ſoluo laudis honorem,
Cum reſonant pſalmis omnia templa ſacris.
Te precor ut ueniat lætis uictoria palmis
Sola, quibus melior cauſa gerenda ſubeſt.
Non nego me crebrò priùs offendiſſe parentem
Criminibus, dum me priſtinus error agit.
Sed tamen haud unquam dubitabo fidere Verbo
Ipſe tuo, iuſtos gratia ſola facit.
Iam magis agnoſco redeuntis lumina Solis,
Tecta ſuis nebulis quæ latuêre nigris.
Fac ſuperet ueri ſtudium mendacia falſæ
Horrida doctrinæ pro bonitate Deus.
Quò genus humanum Stygio retrahatur ab Orco,
Et poßis recto ſemper honore coli.
Sic ſatus properè Iburgum petit arduus arcem,
Occupat hîc etiam triſtia corda dolor.
Conuocat huc proceres, quibus eſt ſua cura regendi
Munia conſueto publica iure uiros.
Præcipuè uerò dandis quos norat acuto
Pectore conſilijs ipſe ualere bonis.
Aduenit expertus rerum Smiſingus & artis
Cuiuſuis multis uir comitatus equis.
Conſolans lenit ſermone Sibergius apto
Et Stephanus curas pro pietate graues.

Hic aderat Leges callens Amelonxius æquas
Vir pius & magna nobilitate ſatus.
Prudens & doctus conſulta mente Rholandus,
Aelius hic aulæ lumen Erardus adeſt.
Nec Gulielmus abeſt, quem longa Colonia miſit,
Vt regeret facili Mindica iura foro.
Et bonus ingenio linguaq; Thuiſcius, unà
Scribarum præſto candida turba manet.
Corpore ſubtilis uenit huc Meßingus & arte,
Quem ſequitur celeri magna caterua gradu.
Quærit ab his quiſnam tantas uideatur agendi
Res pro ſeruando dexter honore modus.
A ſe conſilium ſapiens licet hauriat omnis,
Faſtidire tamen non aliena ſolet.
Vnus (ut hoc uerbum uetus eſt) uir, nullus habetur,
Id miſeros quod res nos ſatis ipſa docet.
Tanta moram poſcunt quin iſta negocia, ſemper
Conſilium prudens ui prius eſſe decet.
„ Illud ut eſt hominum proprium, ſic iſta ferarum
„ Ingenita nobis quæ ratione carent.
„ In uarias ductant & uerſant pectora partes,
„ Non animis ſenſus nec color unus erat.
„ Corporibus ſpecies hominum quot ineſſe uidemus,
„ In noſtris totidem mentibus eſſe ſolent.
Quidam Franciſcum cingenda terret ab urbe,
Conſilij cauſas reddere iußus ait.

Qui

Qui parat ingentes ferro conuellere muros,
Viribus an par ſit diſpicit ille priùs.
Ne graue quid conans oneri ſuccumbat iniquo,
Néue malus deincèps occupet ora pudor.
Sumptus militiæ magnos ſibi poſtulat uſus,
Non has res æris copia parua geret.
Vt minùs intereà dicam, quàm firma per undas
Vrbs & ualla ſuis mœnibus iſta ſiet.
Quanquè bonis iam nunc ea plena ſit undiq;, cuius
Spes expugnandæ non mihi magna ſubeſt.
Quod ſi deijcias, ad te tua damna redibunt,
Sit ſatiùs uafra calliditate capi.
Hìc aliud ſuadent alij, ſententia cuique
Poſcenti uerbis Principe dicta ſua eſt.
Omnibus auditis ſolito de more benignus
Annuit, & uarijs penſitat iſta modis.
Hinc epulis uires reuocant iam ritè paratis,
Atq; leuant modico pectora mœſta mero.
Et iam ſe referunt repetendi tempora ſomni,
Cum liquidis cœlo Cynthia ſurgit aquis.
Aßiduis laßus curis dat membra quieti,
Quæ reficit ſomno nonnihil iſta leui.
Vixq; duas placidè Præſul requieuerat horas,
Cùm graue quod geſtat mente recurſat onus.
Exurgens mœſtus per noctem pectore uolult
Plurima, quæ turbant anxia corda magis.

Conſi-

Conſilij neſcit dubius quid captet honeſti,
Nox ægro curas auget opaca uiro.
Nunc precibus fuſis diuinum Numen adorat,
Nunc ſua qua ſanet uulnera tractat ope.
Interdum ſpes læta uenit, modò lapſa recedit,
Obruta nonnunquam uis malè mentis habet.
Sed tandem certa reuolutis omnibus, arte
Conſtituit qua res aggredienda foret.
Poſtera cum roſeis Aurora reuecta capillis
Sydera fulgenti lumine cuncta fugat,
Acciri iubet huc proceres, quibus omnia noctu
Exponit uigilans quæ meditatus erat.
Non minùs eſſe pium quàm cauto Principe dignum
Officium, ciues ſi leuet enſe ſuos.
Si tam peſtiferos homines debellet apertis
Armis, & iuſtas ſi tueatur opes.
Hosq; ſuis pellat procul iſtinc uiribus omnes,
Qui turbat linguis omnia ſacra malis.
Omnibus exactè perpenſis rebus, apertè
Quemq; ferat quidnam ſentiat ille monet.
Aſſenſêre uiri uictis ſapientibus omnes,
Et laudant animi candida ſenſa boni.
Intereà miſsis huc illuc ſæpe tabellis
Arcet, adhortatur, conſulit, orat, agit.
Et mouet hic omnem lapidem noctesq; diesq;,
Quò fera uulnifico res ſine Marte cadat.

Sed

Sed magis inſidias fabricatur Secta cruentas,
Res alios motus hæc malè cœpta parit.
Nigráq; paulatim multos contagia lædunt,
Cùm ſanam partem corporis ægra trahit.
Fallit in humanis mala nos fiducia rebus, ”
Et ueluti glacies futilis illa perit. ”
Quin ſibi quos Præſul fidos ſperarat amicos
Notis peiores hoſtibus eſſe uidet.
Sed peragit cauto nihil hic niſi pectore, nuſquam
Lumina ſecuro tecta ſopore tenet.
Liuor in hunc certi nihil unquam iuris habebit,
Quiſquis erit magni prouida cura Dei. ”
Nobilitas huc iuſſa uenit numeroſior, illi ”
Martia mandatur cura & ut arma paret.
Hæc rapiunt dudum ſtudio reparata peracri,
Cum uentura uolans prælia fama foret.
Et multi paſſim ſpe quæſtus ſponte parandi
Vberioris eò de regione ruunt.
Vueſtphalis ingentes horum fouet ora cateruas,
Et plus antiquæ nobilitatis habet.
Martia non longè iacet hinc Saxonia, cuius
Pars fuit hæc olim nomine dicta uetus.
Hæc magis occaſus Phœbi, magis aſpicit illa
Quo Sol luciferis cardine ſurgit equis.
Hinc trahit occaſu partim ſibi nomen ab atro,
Quadrupedis partim terra colore feri.

Nam ſcuto formam ſua ſigna gerebat equinam
Ille, gubernator qui regionis erat.
Occiduis niſi tu fortaſſe iacentibus iſtud
A campis potiùs nomen habere putes.
Seu magis à populo terræ cultore petitum,
Siue frequens turris lignea fortè dedit.
Hinc aliquid morum longo ſibi traxit in uſum
Tempore, quod lapſu prouehit iſta ſuo.
Sed Phriſijs paßim ſicca quos ſpectat ab Arcto
Agri diuitibus terra propinqua iacet.
Vicinis aliquà Cattis, hos Solis ab ortu
Diſcernis fines agmine Lane tuo.
A Zephyro reliquis Rhenus diſiungit & Auſtro,
Hoc propè conſtitui limite terra poteſt.
Affinis populus uetus his Saxonia clarus
Proxima dat mores, & capit inde ſuos.
Semper ut inter ſe retinet contermina fœdus
Terra ſuum ſtudio quæ ſit arata pari,
Sic duo cùm ſibi ſunt populi regione ſub una
Finitimi, ſimilis uita colenda uenit.
Ingens eſt hominum clarorum copia, bello
Tanta quibus geſtis rebus origo fuit.
Romanoq; uiris ueteri de more colonus
Rura ferè ueluti debita ſeruus arat.
Nam niſi libertas precio redimatur, uterque
Serua rato gignit pignora iure parens.

Et licet hi prædis non uiuant undiquè raptis,
Vt leuior uulgò dicere fama ſolet,
Tale tamen fertur poſt tempora ſera relictum
Quoddam de ueteri nobilitate genus,
Quod fuerit ſolitum cruda ſine cæde ſub antris
Per nemus, & cæcis uſquè latere uijs.
Hinc graue naufragium paſſus mercator abundè
Diues, & haud tutus ſæpe uiator erat.
Præda tamen rapitur non iſta quibuslibet, illi
Quos ſpolient certa pro ratione tenent.
Vix uenia dignum facinus, niſi praua fugetur
Mens, licet iſtud mos ipſe Tyrannus agat.
Hos truculenta uiris dant incunabula mores,
Nil audire aliud, cernere nilq; datur.
Hæc animis hominum bene preſſa tenaciùs hærent, ,,
Quæ ſtudio creſcens cor puerile facit. ,,
Permagni refert quid primò uaſa liquoris ,,
Facta recens auido protinùs ore bibant. ,,
Id genus ipſa uiros terraq; mariq; uetuſta
Teſte tulit quondam Græcia Thucydide.
Qui etiam magnæ ducunt ſibi talia laudi
Facta, grauis nedùm criminis eſſe putant.
Sæpe fit hoc ſtudio leuis ambitionis inani,
Quòd pudeat ſine re nomen habere uiros.
Hæc ideò quacunque poteſt ratione furenter
Quæritur, Aſtræa non remorante nefas.

Pernicioſa filix cultis innaſcitur agris,
Spina riget pulchras inter acuta roſas.
Non oleum perdas, operam nec inaniter omnem,
Si reuoces uerbis non mala corda bonis.
Affluit huc ingens hominum uis protinus horum,
Cum rigidi ſperet turbine Martis opes.
Nam ſimulac ſparſa eſt belli mala fama futuri,
Militiæ ſemper copia prompta ruit.
Nec mora Vueſtphalicis legatos mittit ab agris,
Cui triplices curæ res ditionis erant.
Illicò laturi capiunt mandata ſeorſim,
Quæ memorent alijs omnia Principibus.
Auxiliumq; petant quia res ita poſtulet, ut qui
Propugnet ciues pro pietate ſuos.
Non extincta uelit manifeſti ſemina Verbi,
Sed qui Marte reos ſeditionis agat.
Intereà ſeſe ciuis priùs actus ab urbe
Colligit, in proprios ut ferat arma lares.
Creditur & certis collecta pecunia grandis
Militiæ nerui robur amorq; uiris.
Quo belli cieantq; Duces properanter, agantq;
Vndiquè delectum militis armiſoni.
Eximia prompti pariter ſpectantur in aula,
Dum phaleris pulchri condecorantur equi.
Commoda laſciuo ſtringuntur ephippia tergo,
Oraq; contorquent ſplendida frena fera.

Expediunt ſubitò breuibus ſe ueſtibus, iſtos
  Lana comans, illos fortis aluta iuuat.
Vncta uiris altè rigidas tegit ocrea ſuras,
  Inductum talos calcar utrinque premit.
Plumaq; pendenti ſublata refulget ab auro,
  Quod uilloſa ſuo pillea more gerunt.
Ex humeris laxus pendet per terga cucullus,
  Libera qui pluuio flamine colla facit.
Vt globuli, cornu, puluis niger, ignis ob ipſos
  Sic oculos corio machina tecta latet.
Aerea ſub dorſo uagina coruſcat, & aptè
  Ancipiti læuum cingitur enſe latus.
Læuas lora premunt munitas tegmine pellis,
  Malleolus dextras ferreus ipſe grauat.
Hinnitus ualidè ferit aëra plurimus, omnis
  Plenaq; fit magni murmuris aura ſonis.
Auditur procul hinc ſtrepitus, cùm pungit acuta
  Vir pellens tumidos cuſpide fortis equos.
In loca ſic abeunt uarias diuerſa per oras,
  Et domini faciunt omnia iuſſa ſui.
Hi breue poſt tempus redeunt, ac læta reportant
  Nuncia, fautores quòd reperêre uiros.
Cùm fugiant homines fortunæ fulmina triſtis,
  Florentis ſoleant lumina clara ſequi.
Muſca uelut lautam nunquam numeroſa culinam
  Deſtituit, gratus dum ſibi nidor adeſt.

Sed minùs ut moueat fortaſſis caſus amici,
Hos tamen & rerum ſumma pericla mouent.
Illicò munifici mittunt reparabile multi
Auxilium, ut dextras explicuere ſuas.
Quidam diſtribuunt argenti pondus & auri,
Magnanimos alijs quos potuêre Duces.
Hæc ubi per tabulas iam nuncia certa feruntur,
Fert pius auxilium Saxo repentè uiro.
Et ſibi permetuens cùm ſit regionibus iſtis
Proxima, ſuppetias Cliuica terra parat.
Eſſe iubet iuuenum lectiſſima corpora in armis
Fertilis ipſa ſuo Iulia terra ſolo.
Præſul amans ueri celer Agrippine tuliſti
Huic almæ motus ui pietatis opem.
Aeque tuis aurum numeraſti candide gazis
Reddendum geſtis rebus ad arma datis.
Plurimus & claris uenit hinc inſtructus in armis
Miles, ut hos agitant ſpe precióq; duces.
Hinc Carolus Phriſijs exoſus Marte Sicamber
Intrepido educi protinùs arma ſinit.
Cõuenit omnis ouans ad Rhenum flumen itura
Vueſtphalicos uerſus Martia turma lares.
Hic teretem uaſtis torquet bene uiribus haſtam,
Atque ſua motus uerſat ab arte feros.
Cùm notis certans agit iſte gregalibus, olim
Quem docuit geſtus certa palæſtra leues.

Pars

Pars ludit, potat, pars exultans feriatur,
Plena quòd urbs magnis ſit capienda bonis.
Hancq́; breui ſpacio læti ſe temporis omnes
Expugnaturos abſq́; cruore putant.
Verùm quiſque ſua de ſpe propè deciditantè
Quàm caderet iaculis maxima turba feris.
Sic ſunt res hominum, uice gaudia læta uidemus
Luminibus noſtris triſtia facta ſequi. »
Et ſolet eſſe malis ſuus hoc ſucceſſus in orbe »
Ad tempus, donec per ſua fata ruant.
En uenit huc ingens ualidis exercitus armis,
Heſſus quem celeri prompta parauit ope.
Multa frequensq́; uijs ſimul ænea longiùs arctis
Machina Munſterum damna datura petit.
Quin & magna manus ruit huc, quã fortè ſuprema
Sedibus emiſit Theutonis ora ſuis.
Mirantur Cererem ſtupefacti pectora nigram,
Necnon Vueſtphalici millia longa ſoli.
Vilia mirantur quoque diuerſoria Gentis,
Quam fera neglectis moribus arua fouent,
Iuncta fimo, foribus magnis caſa facta, modumq́;
Forma ferè priſcæ ſimplicitatis habet.
Infra lata magis conſurgit acumen in altum,
Ducitur in trinum tota figura latus.
Non ſtatuit murus fundamina calce tenaci,
Nec magis hoc pariter ſaxa coacta tenent.

Hæc rudibus truncis, putribus calamiſq; lutoq́;
  Conſtat, & à fumo nigrior ipſa ſuo.
Tota ferè ſpacijs intùs diuiſa duobus,
  Quæ paries rima lucis amante ſecat.
Occupat iſta tenens utenſilis antè ſuppellex,
  Bina ſed hæc tegetis ſtragula uilis habet.
Hoc opus una ligat leue contignatio truncis
  Suppoſitis, rami rarus & aſſer obit.
Vaſtáq; uix ullum uideas per tecta caminum,
  Quód ſolet in medijs ædibus eſſe focus.
Haud ꝓcul hinc ſtabulãtur equi, ſtabulãtur & illinc
  Dulcia quæ præbent commoda lacte, boues.
Summa tenent ſegetes cum fœnis culmina, fruges
  Deiectas tignis area lata terit.
Sic homines uixiſſe reor, mortale prius quàm
  Diluuium toto perderet orbe genus.
Vitiſatorq́; ſuæ Mundo ratis æderet uſum
  Ignotum ueteri Noa parensq́; noui.
Nec ſtudijs natura ſuis huc artis auaræ
  Veniſſet, neque ſic tota ſitiret opes.
Cura nec iſtarum, neque dira libido gerendi
  Imperium caperet corda ſuperba uiris.
Cunctaq́; nec totis fera crimina uiribus iſtinc
  Regnarent, omnis nec foret exul honos.
Cùm ſua uirtuti ferrentur præmia, necdum
  Hanc uitij quiſquam duceret eſſe loco.

Nam

Nam neque crediderim tunc his ſcelus efflagraſſe
Par ego, quod tantæ cauſa fuiſſet aquæ.
Sic hodiè uulgò ſic uiuitur, omnia culpa
Nunc hominum fiunt deteriora graui.
Hîc, animus modò ſit rebus contentus adeptis,
Vita prior uita regis agenda uenit.
Illa fit urgentes homini quò conferat uſus,
Nullus in hac faſtus fulgor ineſſe ſolet.
Sed tenet hoc omnes inflata ſuperbia terras
Tempore, nec finem luxus apertus habet.
Cùm tamen omnia ſint hæc momentanea, cunćq;
Hæc breuis ut uerni gratia floris eant.
Hîc miſto rebus lardo contenta minutis
Victitat, & duris ruſtica turba fabis.
Hîc pulmenta rigent de more frequentia, panis
Tam niger eſt, carbo quàm niger eſſe poteſt.
Quemq; bibunt tenuem potùm mordacis aceti
Lignea uim referens ſeßilis obba capit.
Talia miratur pars, ut noua, cætera nullo
Vſibus hæc cum ſint mollia facta, modo.
Nam quoq; de terris non copia parua propinquis
Vndiquè contrahitur, quæ fera monſtra domet.
Princeps, quàm ſineret ſic ferri cuncta, putabat
Eſſe ſuas ſatiùs perdere prorſùs opes.
Tales eſſe decet qui Numen honore uerentur,
Et quibus eſt curæ Religionis honos.

„ Nam bona cuncta fouet præſtantibus edita factis,
„ Quem penes eſt uirtus & pietatis amor.
Præſul ut ex animo diuinum dogma colebat,
Sic trepidæ fugitans ſeditionis erat.
Hoc & idem faciunt alij, quos pacis honores,
Et pietas ueteri candida fronte mouent,
Aſt alia ratione uiro, mihi crede, petenti
Martis opem planè magna caterua tulit.
Principe poſcenti triplicis uelociter omnis
Vis, æs, arma, uiri iam ditionis adeſt.
Totus ab urbe procul promptis exercitus armis
Deſeritur certis rura per alma locis.
Magnanimi uenêre Duces, quibus ære coruſco
Clara repercuſſa corpora luce micant.
Duces belli. Hîc Gulielmus adeſt Stedingus, fortis ad urbem
Militiæ qui dux totius unus erat.
Magnus Iohannes poſt hunc Raſofeldius alto
Omnia colluſtrans agmina gaudet equo.
Biſterbechus ouat galea præſignis adunca,
Et magno præſtans pectore Surbus adeſt.
Fulget & in nitidis ſpacians Antonius armis
Litcharides manibus conſilioq́; potens.
Ardet & ille grauis Tecborgius aptus ad omnes
A pueris ludos Mars furioſe tuos.
Præſto uiros ductas lingua Gulielme diſerta,
Quem peperit fatis urbs Aquilina malis.

Et mera

Et mera bella crepans ciet hos Laurentius ipſos,
Horſtenius necnon dat fera iuſſa ſuis.
Huc ruit Hermannus properans Sittardius ille
Bellator ſolita pro feritate grauis.
Inq; ſuos ira rapitur Deuerolius hoſtes
Huc illuc agitans agmina tota ferus.
Hos ſimul & plures Vuolbecam præſul in arcem
Conuocat, & dignis excipit ipſe modis.
Exigit hæc ut res merito bene tractat honore,
Qui ſolet hos propter Martia facta ſequi.
Commemoratq; uiris primùm quid profore credat,
Quoq; modo cupiat mœnia rapta capi.
Et monet, ut properent rebus ſuccurrere lapſis
Conſilijs, armis, enſibus, arte, manu.
Omnibus huc illuc animos iactantibus horum
Cuiq; fuit mentem dicere cura ſuam.
Hîc alijs aliud uaria ratione uidetur,
Sed Princeps aperit quæ facienda uelit.
Hæc ubi ceperunt arrectis auribus, iſtinc
Præfecti referunt ad loca nota pedes.
Cogitur intereà certis exercitus oris,
Qui uarios dira præperat arte dolos.
Iamq; uocant cuneos ad ſeſe, quilibet autem
In fera perpromptus prælia miles erat.
Arma petunt omnes, & Martis amore cruenti
Hæc nequeunt longas agmina ferre moras.

Ardor ut hos pugnæ, ſic prædæ larga futuræ
Spes tenet, euentus cernere ſigna petunt.
Præcedit totus noctis peditatus in umbris,
Lux equites ueniens & data ſigna uocant.
Vndiquè quadrupedes phaleris armisq; feroces
Ecce ruunt, galeæ fulgidaq; æra micant.
Spargitur ætherias hinnitus miſſus in auras,
Et turbæ ſonitus, clamor & ille ducum.
Totaq; iam fulgens acies feſtinat, & urbem
Cingit, & incluſos obſidione premit.
Luſtra ter hinc dempto centum ſeptemq; trahuntur
Quo anno cincta ſit obſidione ciuitas. *Anno, poſt geneſin* CHRISTE *colende tuam.*
Menſis erat Martis rebus uel idoneus iſtis,
Et ſua iam præſens omina tempus habet.
Auſoniæ quondam Matronæ feſta colebant
Huius, at hîc multa cæde madente uiri.
Namque furens falſo populus crudelia Diuo
Sacra facit, ſtrages dum facit enſe feras.
Talibus hic gaudens rebus placatur, ouatq;
Humano quoties ſanguine plenus abit.
Occupat hæc loca Mars crudelis, & omnia latè
Subruit armiſono bellicus ore fremor.
Ardua ſeptenis urbs hæc circundata caſtris
Spem palmæ poſito certa timore fouet.
Viribus urbani totis munire laborant
Certatim ſedes, quas rapuiſſe iuuat.

Imperat his conſul Cnipperdollingus, & ille
Iſta quibus geritur fabula dira dolo.
Omnibus & rebus bellè ſecura paratis
Proſpicit è muris undique Secta forâs.
Quin quoque proijciunt longo per mœnia fuſi
Ordine ridiculos abſque tremore iocos.
Quid uos ſacrifici petitis, ſacra fertis an iſtuc,
Vos intemperies quæ, precor, atra tenet?
Mox hi reſpondent faciemus ſacra profectò
Mactantes aris corpora ueſtra feris.
Tam celebrem fama miratur nominis urbem,
Tantáq; perluſtrans mœnia miles obit.
Cumq́; uidet præſens cenſuq́; bonisq́; potentem
Eſſe, magis uiſas appetit hoſtis opes.
Principis hîc iuſſu tenuit fodientia terram
Agmina uel tota ruſtica nocte labor.
Aptum cæſa ſecuribus hæc per tempus acutis
Portarant humeris ligna parata ſuis.
Vt ſcrobibus foßis tentoria firma locentur
Militibus, nil non cura manusq́; facit.
Florida ſub pedibus ſata conculcantur iniquis,
Agricolarum ſpes ingenuusq́; labor.
Delitiæq́; boum uirides perduntur, ut herbæ
Sic olus occluſum ſepibus omne perit.
Affigunt olidas lixæq́; coquiq́; tabernas,
Cum famulis ſatagit fœmina turpiloquis.

Latè

Late magnificam qui cingit amœnior urbem
Ingenti campus murmure plenus erat.
Quos iuuat hic duros caſtrorum ferre labores,
In rigidi iurant uerba tenenda Ducis.
Militiæq; ſacramento ſine fraude gerendæ
Quilibet obſtringit ſæua per arma fidem.
Nec mora conſpicias omnes habitanda per amplum
His ſpacium lectis figere caſtra locis.
Nil procul hinc fuit his quærendum, proxima largā
Vndique materiem mœnibus ora dabat.
Robora diſponens domibus reſecata futuris
Quiſque fabrum certo tempore miles agit.
Incumbunt omnes operi feruenter in iſto,
Quod non longinquum diſtat ab urbe, ſolo.
Non ſecùs ac ſenio metuens formica futuro,
Dum licet, arte ſuas gnaua reponit opes.
Tortilium lento ſalicum de uimine corbes
Exaturat ſcrupis glarea denſa ſuis.
Commoda corporibus tutamina defendendis,
Cùm iacit accenſo puluere flamma globos.
Gnauiter hac alius ſibi propugnacula parte
Extruit, aſt illa proruit iſte ſolum.
Hic loca colluſtrat, tentoria ponit & ille
Firma, focos multi uilia tecta parant.
Quidam frangentes hortenſia ſepta reuellunt,
Hæc humeris alij uoce crepante ferunt.

Iſta ligone mouens bibulam conuerrit arenam,
Pars tumulos ruptæ diruit illa molæ.
Dira locant alij Bombardas nomine monſtra
Dicta nouo, uaſtus quod dedit ille ſonus.
Horrendos Monachi fœtus patre dæmone, qui nunc
Tali Tartareas arte tuentur opes.
Hinc omnis perijt uirtus labefacta uirorum,
Fortia nil propriæ pectora laudis habent.
Vndique Vueſtphalicos cingit cuſtodia fines,
Ne mala nanciſci quid ſibi Secta queat.
Ne ſua fautores mittant frumenta cruenti,
Et graue ſubſidium militis, arma, dapes.
Militiæq́; ſimul faciant ut turba remotis
Officium cunctis fraudibus iſta ſuum.
Iactata uigiles caſtrorum ſorte peracres
Excubias rutilo lumine noctis agunt.
Non agit intereà ferias urbs, omnibus unum
Et ſtudium & labor ut ſe tuerentur, erat.
Conſultant alij de rebus ritè gerendis,
Pars alios quæ ſint hîc facienda, monet.
Portarum mutant aditus & nomina, uallis
Quas munire ratis maxima cura uenit.
Effodiunt alij cumulos flauentis arenæ,
Quæ priùs à lapidum tegmine tuta fuit.
Hos quidam portant humeris, magnoq́; labore
Hic onerat currus, deuehit alter equis.

His

His armant poſitis portarum limina, uallum
Pluribus extructum molibus agger habet.
Pars quærunt uaſtā quæ ſint loca firma per urbem,
Et poſitu quæ ſint non ſatis alta ſuo.
Si qua uident munita parùm minitante ruinam
Muro, præſidium cum ſtatione locant.
Pàrs mandata dat, his pars paret, quiſq; rogat quid
Expediat rerum, moxq; petita facit.
Hi circum muros ſua propugnacula figunt,
Vt uicto referant hoſte trophæa ſuo.
Agmina conſtituunt alij ſtabilita per omnes,
Ordine quæ cingunt mœnia longa, uias.
Tuta ferè grati ducibus munimina ponunt,
Horrida qui quondam bella tulere, uiri.
Inſtrumenta locis depromunt bellica cæcis,
Et rigidis onerant ordine cuncta globis.
In ſumma partes ſibi iuſſas quilibet ipſo
Marte capit feruens, ocia nullus agit.
Montes accumulant ſæuorum more Gigantum
Montibus, ut ſumma Iuppiter arce ruat.
Sæua uenit tanto impietas ſudore paranda,
Tamq; graues curas, ut foueatur, habet.
Sed Deus aggeſtum miſſo turbabit Olympum
Igne, nec alta diu Pelion Oſſa feret.
Omnibus hæc uehitur procul ad loca gratus ab oris
Curribus, & multis undiq; uictus equis.

Macraq;

Macraq́; nec ſeruant ulli ieiunia, nemo
Vllis diſcrimen clamat ineſſe cibis.
Panis ibi quauis fuligine nigrior, illic
Candidior quàm ſunt lilia cana, patet.
Hîc carnes bubulæ tepido de cæde recentes,
Et ueteres, ſordent fumida terga ſuum.
Oua capit calathus lento de uimine textus,
Caſeus & niuei flos bene lactis olet.
Multaq́; criſtatis regitur gallina maritis
Sub cauea, uolucrum uis, olor, anſer, anas.
Hîc hara crebra ſues cohibet porcosq́; uoraces,
Et dulcis pingues de grege carnis oues.
Hîc uideas uiridi gaudentes fronde capellas,
Hîc Phriſij carpunt gramina læta boues.
Piſcis & omne genus uiui, & per lumen & auras
Plurima mordaci cum ſale dura rigent.
Vina, liquor qui fit cocta cum frugibus unda
Cumq́; lupo feces purificante graues.
Deniq; quicquid in hoc degendæ prodigus orbe
Humanæ uitæ poſtulat uſus, adeſt.
Certaq́; militibus numeratur ſumma parati
Aeris, ut elapſo tempora menſe fluunt.
Quo ruit accepto ſibi quærens pabula cœtus,
Quilibet & numero uenditor obruitur.
Fauce uorant auida pariter quæcunq; parantur,
Atq; rigant plenis guttura ſicca ſcyphis.

 Omnia

Omnia quæ poſcit uis Martis utrinq; parantur,
Parti cuiq; ſuæ cura ſalutis erat.
Turribus ex altis & ab arcubus urbis apertis
Extrudit ſæuum beſtia dira caput.
Armaq; muniti ſuſtentant undiq; muri
Martia ferratis perſtabilita rotis.
Sic onerata globis cum puluere machina ſicco
Tota Monaſterꝗ mœnia cincta tenet.
Eminet obliqua lætalis Scorpio cauda,
Pandit & immanis lurida roſtra Draco.
Igniuomæ pando ſpectantur gutture fauces,
Exeritur flammis lingua triſulca ſuis.
Squamea terga, notæ ſub auaro uentre rigeſcunt,
Et maculæ, ceruix protrahit alta caput.
Horridus in muros radiantia lumina flectit
Oppoſitos cupiens perdere cuncta ſemel.
Spargere lætiferum ſuccenſo uirus ab igne
Geſtit, & ardenti corde uenena coquit.
Eminùs inſtructi tendunt ad nubila criſtas
Angues, uaſta quibus largiùs ora patent.
Sibila colla micant nodis intorta ligatis,
Et ſua mirifico pondere terga leuant.
Omnia plena feris ſunt rura patentia monſtris,
Quæ faciunt homines pernicioſa ſibi.
Vrbs fera uenturi faciens præludia belli
Hæc laxat miſſis hoſtibus igne globis.

Atq;

Atq; uices animis reddens exercitus iſtud
Alter idem cupidis è regione facit.
Nox erat, excurrens duce conſule proruit iſtuc
En facit, hei, cædes Secta cruenta ſuas.
Nunc hac nunc illa de porta ſæpiùs, ipſæ
Quà minùs excubiæ ſub ſtatione forent.
Cominùs inuadunt oppreſſa ſopore cruenti
Caſtra furenter, & hîc corpora multa necant.
Cædibus expleti cùm iam clamatur ad arma
Compertis referunt ad loca nota pedes.
Quin ſubito uigiles & aperto Marte fatigant,
Hosq; uel interimunt, uel procul inde fugant.
Magnaq; caſtrorum pars hîc niſi uoce propinquam
Imploraret opem, turbine cæſa foret.
Tanta uenit uacuis, audacia, tanta timore
Sæuicies animis pectoribusq;, Dei. ››
His actis repetens ſua cautè mœnia lætis ››
Vocibus hoc propter Secta triumphat opus.
Lux erat, adducit quæ CHRISTI *fata, pedesq;*
Diſcipulis purgat cum pius ille ſuis.
Iuſſu cuncta crepant reſonantia conſulis æra,
Ad ſacra quæ turbam ritè uocare ſolent.
Ecce celer prodit Cnipperdollingus, & iſta
Vociferans alto uerba furore canit.
Iam pater iſta mihi cœlo ſuggeßit ab alto
Iuſſa uiri dignis accipienda modis.

Omnia turbari ſublimia conuenit, atque
  Infera ſuſtolli quæque fuêre priùs.
Turribus è celſis faſtigia trunca ſub imum
  Collabefacta ſuo præcipitate loco.
Nec mora, deijciunt labefacto culmine templa,
  Deturbata graui ſaxa fragore ruunt.
Altaq; labuntur totam tabulata per urbem,
  Ne globus hæc rigido miſſus ab hoſte petat.
Sed magis ut damnum dent illi tela pudendum
  Hinc rapida nigri pulueris acta face.
Ne'ue ſit aduerſæ deiecti gloria tecti
  Partis, habet tantus pectora ſæua tumor.
Hæc ſpectant telumq; frequens tentoria torquent,
  Et quædam certa corpora cæde necant.
Buculides animo magnas exardet in iras,
  Cùm uidet hoc munus quod gerit, arte rapi.
Quid tibi uis miſer heus tu pſeudopropheta, potes'ne
  Officium uatis ſumere conſul, ait?
A patre cùm ſcelus hoc non iuſſus feceris, hoc te
  Munere defungi uult, quod & eſto ratum.
Aut tibi iam longo tolerandus carcere pædor,
  Aut te tortoris munus obire decet.
Hic ad poſtremum lætas ferus arrigit aures,
  Sæuaq; carnificis protinùs arma capit.
Cùm te iam uideam monitis parere paternis
  Sponte, feres maius patre iubente decus.

Ille

Ille tibi ſummam rerum iam mandat habendam
Ceu Dictatori primitio'ue Duci.
Si modò non rapias mihi quæ commiſſa, nec ullam
Vim tibi præ reliquis ſumpſeris ipſe feram.
Hunc tibi(tradit eum)cape qui caput auferat enſem
Auerſo noſtrum corde negantis opus.
Quiq́; patris uoces non has reuerenter habebit,
In ſua truncatus pectora dura cadat.
Inq́; nouas quicunq; nefas committere leges
Cœlitùs emiſſas impius auſus erit.
Obſtant quæ uoto,capitalibus omnia pœnis
Crimina conſtituunt eſſe luenda,nouo.
Hinc ſacra ſub titulis Scriptura citatur honeſtis,
Mentibus exitium quæ malè torta parit.
Hic aliud meditans ſimulata fronte, rebellem
Dat uati non hoc ſe fore more fidem.
Iamq́; magiſtratu magis hoc potiore ſuperbus
Exhortans omnes talia uerba facit.
Ad fera bella uiri mentes geſtate paratas,
Exulet hac omnis prorſùs ab urbe timor.
Nos (enſem monſtrat)defendet cœlitùs omnes
Hic gladius,mihi quem porrigit ipſe pater.
Omnia ſunt bene nota mihi quæcunq; per urbem,
Et faciles animos & mihi poſco manus.
Experiar quid Marte queam, faxoq́; fugentur
Sacrifici molles impia turba procul.

Hoc dicto manibus latum rotat acribus enſem,
Et quatit armigerum non ſine bile caput.
Omnibus hoc addens animos ſermone potenti
His facit, unanimes protinùs arma fremunt.
Cunctantemq; feros globulos iaculantur in hoſtem,
Et perimunt multos cæde furente uiros.
Hoc & idem faciunt alij properanter, at iſta
Nudatis natibus ludere caſtra iuuat.
Inſultant facto, ſalibus, clamore furenti,
Effera ſed reprimunt pectora uoce duces.
Hos planè furijs agitari, commoda rebus
Tempora geſtandis eſſe manenda canunt.
Omnia ſollicito bene diſpicienda labore,
Quæ ſibi Gradiuus poſtulet antè pater.
Tempus erat cùm iam ſacra Paſchatos annua floret,
Quo nihil omninò lætiùs annus habet.
Omnia cum propter grato redeuntia uultu
Veris opes uarias ſemina læta noui.
Tum propter meritos æterna laude triumphos,
Quos propria CHRISTVS ſub cruce duxit ope.
Peccato ruerant & Adamus & Eua parentes,
Primitùs humanum qui peperere genus.
Hic trahitur Stygia qui nos deceperat arte
Spiritus, ut miſeris uerba ſub angue dedit.
Crimen & ira Dei, mors & quodcunq; malorum,
Victa iacent cunctis Infera regna pijs.

Omnia

Omnia deſtruxit proprijs hic uiribus, ut ſe
Extulit hinc uiuum, cunctaq; uictor habet.
Nos uocat ipſe ſuos fratres, & noſtra benignus
Illuſtrat gratis lumine corda nouo.
Natura Deus hic Maria quoq; uirgine natus
Morte tulit nobis uictima factus opem.
Noſtra uolens facit hoc propter peccata, reſurgit
Quò nos iuſtitia dirigat ille ſua.
Veraq; ſolius uictoris gloria CHRISTI
Aeternæ meritum ſola ſalutis habet. „
Non opus & ſtudia humanas inuenta per artes, „
Sed modò corda pijs credere pura facit.
Id uenit ex Verbo per ſanctum Flamen aperto
Cœlitùs, hic fuſas & ſine fine preces.
Cùm ſcelerum facies nos horrida territat, auſis
Fidere mox CHRISTVS pectora læta facit.
Ceu nigra cùm cœlum contriſtant nubila, Phœbus
His citò diſcuſsis lumina clara refert.
Vt iubar his oritur, rident ſimul omnia, terris,
Gaudia lux animis triſtibus alma parit.
At miſeros reddunt mœſtos hæc tempora ciues,
Quos patrij ritus iam meminiſſe piget.
Luget honeſta gemens natos matrona furentes,
Si quos ſub patrio principe caſtra iuuant.
Aut ſi quos furor urbis agit ſine mente pudendus,
Qui pia uel ſecum pectora multa trahit.

Nulla dies celebrat feſtos, nec ſoluere grates
Munere pro tãto nunc tibi CHRISTE poteſt.
Mœſta gemit tantùm lachrymisq́; fluentibus orta
Bella ſuo diris deuouet ore malis.
Hæc queritur uirgo, ſtupet altera, tertia neſcit
Quid faciat, cunctas occupat iſte dolor.
His metus hoſtilis conſumit tempora noctis,
Nec dulces ſomni corpora feſſa leuant.
Sed uigiles ducunt noctes ſermonibus unà,
Et clamant urbs urbs quò peritura ruis?
Quò fugiunt noſtræ, quò priſtina tempora uitæ?
In quibus, ah, nobis uiuere dulce fuit.
Lætitijs miſeræ ſemper'ne uagabimur orbe?
Et referet nullus gaudia noſtra dies?
Aedes quæ tandem noſtras inuaſit Erinnys?
An fortuna leues ſola gubernat opes?
Quis tales hominum timuiſſet pectore peſtes?
Numina quas perdant fulmine ſumma ſuo.
Intereà ante urbem uarias excogitat artes,
Et facit officium miles ubiq; ſuum.
Sectaq́; conflictus uarios cunctatur in horas
Sollicitis agitans omnia pectoribus.
Præcipit & populo uates, ut cuncta per urbem
Protinùs in cumulum colligat arma ſuum.
Principis illuſtrem ſubitò portantur in aulam
Omnia, quæ tumidus corpore geſtat eques.

Quæ pediti ſunt apta uiro ſimul omnia magno
In ſeſe numero Curia lata capit.
Traduntur ſeruanda uiro & tribuenda petenti
Cuilibet, ut ſibi res tempore nata petit.
Nox erat, è tota rurſum procurritur urbe,
Caſtraq́; turbantur preſſa ſopore foris.
Ingentes læti cæſis cuſtodibus iſti
Ex caſtris prædas armaq́; rapta ferunt.
Hos quoq; perſequitur collectus fulminis hoſtis
More feri, necnon corpora ſena necat.
Cætera pars fugiens ſeſe concludit, & iſtos
Arcet, & immittit tela cruenta uiris.
Sæpe fit hoc ſpatio totius menſis & ultrà,
Namq́; quietis amat turbida Secta nihil.
Vertitur intereà cœlum, Sol ultima læto
Tempora florentis lumine Veris agit.
Iam geminos Helenæ fulgentia ſydera fratres
Conſueto currens ordine Phœbus habet.
Oppugnare feri ſua princeps plena tumultus
Mœnia perpeſſus maxima damna, parat.
Penna fama uolans uolucri per caſtra, per urbem
Exacuit curas omnibus iſta ſuas.
Conueniunt Anabaptiſtæ & graue cominùs unà
Conſilium capiunt, res ut agenda foret.
Hæc ubi facta monet cunctos Rothomannus, habetq́;
Rebus abutendo talia uerba ſacris.

Cuncta uiri fortes uobis manifeſta pateſcunt
Hoſtica quæ nobis caſtra cruenta coquant.
Non eget hæc longo ſibi res ſermone, ſed altæ
Omnibus ingenti robore mentis opus.
Illis effugium latè patet undiq;, nobis
Haud ullum, niſi ſi noſtra quod arma dabunt.
Nec quia ſunt plures, ideò timor ardua nutu
Corripiat trepidus pectora ueſtra ſuo.
Certa uenit ſemper Ducibus uictoria, quando
Neſcia ſolliciti corda pauoris habent.
Et licet humanis poſſemus uiribus acres
Fidere, non tamen hoc corda renata ferent.
Si per aquæ ſanctum repetitæ robur amici
Eſtis, & electi per noua ſacra Dei,
Hoc ueſtrum quæſo ſibi quis formidet ab hoſte?
Quid de cœleſti uos dubitetis ope?
Diluuie potuit Deus omnem perdere mundum
Octo tamen ſaluis, quos leuis arca tenet.
Niliaci Regis media Pharaonis in unda
Submerſi ſemper nos meminiſſe decet.
Cum tua gens Iacobe pater duce regia Moſe
Arua Deo linquens culta iubente fugit,
Num ualet illa ſuis pia niti uiribus, an'ne
E tanto capere hinc turbine tuta fugam?
Hinc atq; hinc montes, à tergo proruit hoſtis,
Ante oculos horrens his maris unda patet.

Quid faciat, nuſquam quò ſeſe uertat, habetur
Perfugium, ferrum ſtringitur, obſtat aqua.
A Duce conceptis animantur pectora uerbis
Expauefacta necis tota timore trucis.
Nulla pijs metuenda pericula clamitat, illi
Si poterunt ueram nunc adhibere fidem.
Inq; Deum nihil hæc Memphitica regna ualere,
Quamuis ingenti tota furore ruant.
Iam gelidum ſtantes animis, ait ille, timorem
Ponite uiſuri facta ſtupenda Dei.
Nam Dominus fautor pro uobis Marte potenti
Pugnabit, rapidas uos cohibete manus.
Perdet enim quæ uos Aegyptia cernitis unquam
Vt nullus retrahat caſtra uidenda dies.
Inter utroſq; manens cum nubis habente columnam
Angelus excubias lumine noctis agit.
Ipſe ſuam Moſes ſuper hæc maris æquora palmam
Cum uirga iuſſus ulm faciente leuat.
Vrit & exiccat nocturnus flumina uentus
Hæc uehemens, nil non ſic Deus ipſe poteſt.
Ille iubet muro ſimiles conſiſtere fluctus
Se ſtabili mandans diuidat unda ſitu.
Quàm mortale genus paret citò promptior, uni
Seq; creatori ſubijcit illa ſuo.
Hinc mare uel ſicco pede Rubrum tranſit, & hoſtis
Impia iam populus lætior arma fugit.

Sperat idem Pharao, pelagus ſed inundat, & omnes
Strangulat, ut iunctis ui redit illud aquis.
Hæc diuina locum medio per iuſſa periclo
Cedit Lympha pijs, ſed rapit illa malos.
Sic Deus haud dubiè iuuat hos, quibus ipſa per almū
Verbum corda graui ſunt ſtabilita fide.
Quin uoluenda poteſt, & ſiſtere ſydera cœlo,
Si modò res populi poſtulet arcta ſui.
Corpora nec uerò dubitetis alenda per illum,
Nec rabidam timida mente timete famem.
Cœlitùs huc liquidum demittit Manna, pijsq́;
Paſcere cœleſti corpora pane ſolet.
Deſertisq́; locis necnon arentibus æſtu
Hic facit è petra largior unda fluat.
Numinis haud refero poſt hæc uictoria ſummi
His quoties uario parta labore fuit.
Quare nec numerum, nec opes metuiſſe potentis
Nunc neque nos robur principis omne decet.
Non tamen eſt manibus ſatis abſtinuiſſe ferendis
Tutum, cùm nobis horrida fata paret.
Spem capite, & ueſtris pugnate uiriliter armis,
Prælia ſunt animo iuſta gerenda bono.
Non meriti pœnam patimur, ſed Præſulis iras,
Quem Deus indurat quò grauiùs pereat.
Vnde Deo fuerit tandem ſua gloria, magnum
Agnoſcent dominum gens malè ſana ſuum.

Non leue ſeruitium nobis, neq; molle minantur,
Sed graue iam cupiunt impoſuiſſe iugum.
Quos & opes, equitum numerus, ſtoliduſq; fatigat
Laudis amor, fluctus mox tenebræq; tegent.
Afficiemur enim maioribus undiq; plagis,
Quàm tulit Aegypti ſanguinolenta manus.
Vos igitur firmo ſperantes pectore facta
Poſcite magna, potens & pater illa dabit.
Reſpiciet noſtros dubio procul ille labores,
Si modò monſtremus nos in agone uiros.
Sic ait, & plebs hinc dimiſſa furore ruebat,
Quiſq; ſuum magno pectore munus obit.
Sic dementati Scripturam numine plenam
Diuino, retrahunt quò uocat utilitas.
Attica carpit apis ſibi mel, ſed araneus ater ,,
Floribus ex iiſdem dira uenena legit. ,,
Ecce uiri properant experti pectora rerum,
Et quos Mars docuit fortia facta ferus.
Cuncta ſimul totam ſolito de more per urbem
Diſpoſuere, ſuo bella furore petunt.
Hoſtibus inſultant uerbis, auidoſq; laceſſunt
Pugnæ cum reliquis cœtibus uſq; duces.
Intereà per circuitum ſe caſtra futuræ
Accingunt pugnæ, feruet utrinq; furor.
Vualdechi uariæ mentem malè Principis urunt
Curæ, nulla quies pectora mœſta fouet.

Nec teneros recreat laſſati corporis artus,
Nec rigat ipſe fouens languida membra ſopor.
Obducit faciem macies, & dura medullis
Tabidus exugens decoquit oſſa dolor.
Commouet hunc quòd Gens urbem ſibi uendicet iſta,
Quodq; ſua ciues improbitate premat.
Res q; & in proprias grauis arma capeſſere ſedes
Cogat, & infeſta perdere cuncta manu.
Lux aderat, Pentecoſte quæ nomine dicta eſt,
Quam ſibi ſanctus habet Spiritus ille ſacram.
Sollicitans Numen noctesq; diesq; precatur
Præſul, & ardenti pectore uota facit.
Atq; Deo meritas malit perſoluere grates
Flamine pro miſſo cœlitùs ipſe ſacro,
Quàm tractare feri Martis certamina, cùm res
Vrgeat hunc pulſis ciuibus urbe bonis.
Sæua ſeneſcenti ueluti ſunt tempora mundo,
In quibus unus habens munia bina gerit.
Proxima uernantis meditanti præmia palmæ
Commoda conſilijs tempora noctis erant.
Præuius ut Phœbi terris infundere lumen
Cœperat, & rutilo Lucifer ore micat,
Somno non curis mordacibus ecce ſolutus
E ſtratis ſurgens ocyùs ipſe uenit.
Continuò cum iam totos ſibi ueſtijt artus,
Diſcreuit niueo pectine cæſariem.

Puraq́; dant gelidam gutturnia lentius undam,
Qua lauet ille ſuas, & ſimul ora, manus.
Hinc ſubito facta frontem cruce ſignat, & almæ
Se Triadi mandat uir pietate grauis.
Et poſitis genibus palmas attollit, & orat
Suppetias rebus quò Deus ipſe ferat.
» *O pater ob nati meritum modò mortis* IESV, Oratio
» *Qui cœlos habitas ſparſus ubiq; tuos.* Domi-
» *Omnibus Idolis uera pietate remotis* nica
» *Sit ſanctum toto nomen in orbe tuum.*
» *Regna fac huc ueniant cũ dote perennia* CHRISTI
» *Dans Euangelij lumina clara ſacri.*
» *Fiat & in terris tua ſic diuina uoluntas,*
» *Vt faciunt iuſſus cœlica cuncta tuos.*
» *Da nobis hodiè panem Deus alme benignum,*
» *Qui reparet quouis corpora noſtra die.*
» *Tuq; reis clemens ita debita noſtra remittas,*
» *Ceu condonamus fratribus illa pijs.*
» *Nec duce te noſtros ſubeat tantatio ſenſus,*
» *Hoſte ſed à Stygio nos tueare malo.*
» *Nam penes eſt te regnum, gloria, robur in æuum,*
» *Os Amen ſtabili proferat, opto, fide.*
Sic fatus ſurgit, ſimul huc ſpaciatur & illuc,
Et uario cœptum corde reuoluit opus.
Inde bonos Aulæ proceres ſibi uoce miniſtri
Excitat, & noto nomine quemq; uocat.

Seq; iuuent animis monet hos præſentibus omnes
Impenſè, nec res adferat ulla moram.
Excutit his ſomnos gelidus timor, ocyus illi
Parentes reſonis uocibus exiliunt.
Hinc breue conſilium uarijs de rebus habetur,
Vt cauto peragant pectore cuncta prius.
A ſacris ſolito breuiter de more peractis
Conuenit huc magnis aulica turba choris.
Præſulis ad tumidam legatio mittitur urbem,
Vt fieri iuſto prælia Marte ſolent.
Hæc domino præter fas omne, ſed arte doloq;
Rapta ſuo reddi mœnia iure petit.
Omnibus offenſis iamnunc impunè remiſsis
Hunc modò iuſta pijs poſcere corda modis.
Vrbis reſpondens agnoſcere protinus ullum
Iam niſi ſe dominum Secta proterua negat.
Commiſſamq; ſibi diuinitùs enſe tueri
Velle, nihil contrà uate monente canit.
Dumq; ea Franciſco de more feruntur ab urbe,
Vt capiat quidnam ſentiat illa rei.
Omnibus è caſtris turmas ductare relicto
Præſidio magni per loca nota duces.
Expectare ſui mandatum Principis, atq;
Agmina uix monitu ſæua tenere ſuo.
Sæpius hos in equis circum breuioribus ire,
Et dare conſilijs horrida iuſſa ſuis.

Hæc ubi ſunt rectè confecta negocia tandem,
Quæ ſibi poſcebat res peragenda grauis,
Improuiſus adeſt citò Princeps omnibus iſthic,
Quo uiſo latè murmura cuncta ſilent.
Aduenit in cœtus medios Vualdechus, & iſta
Toti militiæ uerba diſerta facit.
Iuſta uiri fortes, quibus ò ſunt prælia cordi, Oratio Vualdechi principis.
Res mea uobiſcum poſcit ut iſta loquar.
Cur uos accerſi mandarim cernitis omnes,
Quo fortuna loco ſit ſita noſtra patet.
Clarius hac populus quod conſtat luce prophanus
In mea paciferos non tulit arua pedes.
Virtutis certam dedit hic oſoribus anſam,
Vt miſeris rabidi corda furore fremant.
Omnes ſub ſpecie tantùm pietatis honeſta
Hi curam diræ ſeditionis agunt.
Quid magis indignum, quàm turbine mœnia motus
Intercepta graui ciuibus eſſe meis?
Etſi magna uiris hæret ſua culpa, quòd iſta
Haud ita principio Secta ferenda fuit.
Vrbis enim ſummæ ſtudijs communibus antè
Maior habenda ratæ cura ſalutis erat.
Debuit hos primùm ſapientia pellere, uerùm
Quæ ſunt facta priùs, facta neceſſe manent.
Nos æqua ferimur cauſa iuſtoq; dolore,
Nos nec uanus honor, nec leuis aura mouet.

Nam ſi bellifico nos iure repoſcimus illa,
Quæ gladio nobis ſunt malè rapta fero,
Quid vetat aſtutis ſpoliatam fraudibus urbem
Quo minùs expugnem Marte potente meam?
Cùm ualeam cauſa, cauſam'ne tuebor & armis?
Iuſtaq; pro raptis geſſero bella focis?
Et licet his noſtri confidant mœnibus hoſtes,
Tota quòd hæc conſtent robore firma ſuo,
Faxo tamen pateam nobis diuinitùs auctis
Viribus, & noſtra deijciantur ope.
Tum uictor nulli pro iure pepercero belli
Aequo, nec ueniæ quiuerit eſſe locus.
Atrox ſupplicium par factis ipſe parabo,
Pro meritis ſtatuam tormina dura malis.
Auerſi monitus cùm ſpernant pectora noſtros,
Nec rabidis cœptis abſtinuiſſe uelint.
Viribus armorum, mihi credite, fortis apertè
Ius merito poſthac perſequar omne meum.
Ibunt in pœnas, & quà trahet ira ſequentur
Debita, criminibus præmia digna dabo.
Et rectè feciſſe ferar, manifeſta per orbem
Hæc exempla ſuo tempore peruenient.
Longaq; magnificas capiam per ſecula laudes,
Grande uel inuito iam mihi nomen erit.
Sera nec hãc poterunt extinguere tempora famam,
Quæ pro pacata ſeditione uenit.

Omnia

Omnia deponam pro ciuibus urbis, & omnes,
Quæ mihi iam trifidæ ſunt ditionis, opes.
Hæ mihi commiſſæ, nunc ut ſunt tempora, noſtris
Ille ego qui ſemper ius tueatur, ero.
Nec dubito noſtra pro gente profundere uitam,
Huc ita ſi certo me mea fata uocant.
Vos quoq; uos ſolidæ capietis præmia laudis,
Pectore ſi forti rem bene quiſque geret.
Nonne bonas multùm mentes fera monſtra iuuabit
Perdere, & ad Stygios mittere cuncta lacus?
Nam pia contendit confundere iura prophanis,
Reſpuit hæc ritus gens malè ſana ſacros.
Nec uerò qui ſunt ſolùm remouentur abuſus,
Sed magis in totum res peragenda ruit.
Quæ faciunt homines totum diuina per orbem,
Omnia Letheis hic ſacra dantur aquis.
Iuráq; Romani conculcans Cæſaris iſta
Abrogat, & patria lege ſoluta furit.
Pellere nos noſtris conantur ſedibus omnes,
Atque ſuo rapiunt regna furore mali.
Fortibus inuadunt alienas uiribus urbes,
Damnúq; malo miſeris damna pudenda dolo.
Arte ſuis ciues abiguntur ab ædibus iſta,
Et manet his proprij copia nulla foci.
Quin gladijs omnes cupiunt nos perdere, quotquot
Ius propugnamus, quod Deus ipſe probat.

Cuncta per Harpyias pereunt bona noſtra rapaces,
Dextera fama, decus, nomen, & omnis honos.
Gentibus & noſtri timor eſt excußus, & ille
Priſcus amor, uitijs libera facta uia eſt.
Hæc nos ſola manent, odium, contemptus, acerba
Scommata, cum riſu ſanna parata ſuo.
Me pudet his malè uos miſeris conferre, q; haud ſit
Par numerus, neque res cum ratione loci.
Plurima uos cerno præſtantia corpora, Secta
Eſt hominum niſi fex colluuiesq; nihil.
Nos nullis ſeptis, ea cincta clauditur urbe,
Nec quoquò uertat ſe, uidet illa fugam.
Nos quoq; pro noſtris arisq; focisq;, ſed illa
Pro raptis faciet prælia fraude bonis.
Omnia rus nobis quæ Mars ſibi poſcit, & urbes
Suppeditant, illis cùm locus iſta neget.
Quaprópter nobis propior uictoria, quamuis
Res foret humanis expedienda modis.
Fortiter ergo uiri feriatis mœnia raptæ
Vrbis, & hoſtibus his parcite, quæſo, minùs.
Hos ſæuo pulſate, repellite, cædite ferro,
Vt pereat quiſquis crimina tanta facit.
Hoc iubet aſſiduo quod uoluit ſydera motu
Numen, & id præſens more parentis erit.
Nemo ſit imbellis, cùm res ita poſtulet, acri
Nec uacuas unquam geſtitet enſe manus.

Veſtra ſed hos uirtus ingens oſtentet in hoſtes
Robora, quæ moueat Martius ipſe furor.
Tollatur gladio ſuperis quod diſplicet, illi
Præmia diſcuſſo larga furore dabunt.
Nam pietas & iura ſinunt ſanctiſſima, nobis
Lex gladium nutu porrigit æqua ſuo.
Cunctorum memores agite horum, fortis & acer
Exerat hîc uires quilibet, oro, ſuas.
Ducetis domito lætos ſimul hoſte triumphos,
Et ſtatuet uictrix pulchra trophæa manus.
Præmia nec deerunt uobis, captaq; relinquam
Pro meritis prædas omnibus urbe bonas.
Non igitur gelidus ueſtrum pauor arguat ullos,
Dedecet ingenuum bella timere uirum.
Dixit, & è cœtu princeps diſcedit, & omnes
Alloquitur mira clàm breuitate duces.
Perſonam tanto mirantur honore decoram,
Sed magis eloquij flumina larga uiri.
Hic abit, hinc iuſſæ repetunt ſua caſtra cohortes,
Corporis ut curam tempore lucis agant.
Eſuries premitur dapibus, ſitis arida potu,
Perſtrepit hinc omni murmur & aura loco.
Nec mora quiſq; ſuis Ductorum Marte gerenda
Quæ ſint diſcretis dictitat agminibus.
Implent has animis turmas audacibus, ipſa
Re meliora ſuo uerba colore canunt.

More ſuo montes promittunt fortibus aureos,
Dura ſed ignauis quæq; futura uiris.

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER V.

HIs accenſa fremunt ſibi Martia pectora dictis,
Et priùs in pugnam quàm data ſigna, ruunt.
Nam quia pronus erat medio de limite Phœbus,
Debuit hæc oriens prælia ferre dies.
Communisq; Ducum fuit hæc ſententia, uerùm
Turba nequit faciles continuiſſe manus.
His temerè fortes animos facit hauſtus abundè,
Cordaq; corripiens effera Bacchus agit.
Hoc eſt cur pereant furioſæ magna cateruæ
Agmina per uarios nocte repulſa modos.
Omnia mox confuſa ruunt, non ordo tenetur,
Vtilius rebus quo nihil eſſe queat.
Geldrica gens primò tentans fera prælia, ſæui
Omnibus erroris cauſa fuêre grauis.

Hinc alios planè neque clamor Centurionum,
Nec ſua, quantumuis magna, pericla mouent.
Inſtigant animos ita re poſcente uiriles,
Et mandant ſorti cætera cuncta duces.
Illicò tolluntur manibus uexilla leuatis,
Viſaq́; dant animos ſigna repentè uiris.
Faucibus è medijs trahitur lituoq́; tubaq́;
Spiritus, & magno murmure cuncta replet.
Excitat & mentes his bellica Muſa flagrantes,
Fiſtula, quas ſimul & tympana pulſa mouent.
Hæ properos cogunt animos ad prælia cauſæ,
Vina, ſonor, prædæ ſpes rata, ſermo Ducum.
Oppugnant urbem rebusq́; dolisq́; paratam
Omnibus, apta ſatis cùm minus hora foret.
Incurſant, feriunt, agitant ui, turbine, niſu,
Sed nullam faciunt ulla per arma uiam.
Ferratas alij quatiunt ad limina portas
Haſtis, quæ ſonitus ære dedere graues.
Pars ſcandunt uallum ſemel occidenda, per undas
Pars aditus quærunt his peritura, lacus.
Exultans animis, cupiensq́; iuuentus honoris,
Et ſibi confidens in ſua fata ruit.
Nonnulli tumulos haſtis de colle reuellunt,
Mœnia quos cingens orbibus agger habet.
Deturbantq́; loco conſtructas undique moles,
Ceſpite diſrupto magna ruina iacet.

Quidam conijciunt quæcunq; reperta ſub undas,
Proxima turbatis foſſa nigreſcit aquis.
Deniq;, crudelis furioſo ſtragis amore
omnibus his flagrant pectora tota uiris.
Colla ſupinantes ſquamoſi tela dracones
Igniuomis iaciunt flammea gutturibus.
Truncatas feriunt reliquo de culmine turres,
Mœnia concutiunt glandibus alta feris.
Nec minùs hoc faciunt hoſtes, tutantur & urbem
Cominùs, & longè mittere tela fremunt.
Inſidias locat omnimodas, furit hoſtis in hoſtem
Aſſiduò, & multos perdere utrinq; iuuat.
Opprimit innumeros rutilo delapſus in agmen
Turbine demergens in Styga morte globus.
Vueſtphalis ora tremit ſæuis agitata colubris,
Sylua boat, fluuij iugiter unda ſonat.
Continuos Echo ſonitus de ualle remittit
Exigua, multus proxima plangor habet.
Tota ruens ſubitò rerum natura uidetur
Collabi, tantus fulminis horror erat.
Lux redit exacta, lapſantes nocte per horas,
Cùm princeps, aliquis uoce ſit ordo, facit.
E' caſtris ualidam lectis fit curſus ad urbem,
Mox animos uerbis ut monuere duces.
Sed minùs obſeruant ſibi iuſſa ruente tumultu
Pectora, Mars ſtimulis quæ fremebundus agit.

Diffi-

Difficiles aditus habet inconſulta furentum
Pugna, uelut primò quod facis eſſe ſolet.
Multa cadunt paſſim truculento corpora ferro
Cæſa, furens animos impetus iſte rapit.
Omnia concutiunt, licuit qua parte, ſed ipſos
Inſidijs captos hoſtica turba premit.
Nam procul urbani compellunt cædere fortes
Eminùs à muris Marte ſequente uiros.
Mœnia defendunt, arcemq́; ruentis inanes
Fortiter inſultus hoſtis ab urbe feri.
Si, quot habet peſtes, tot haberet fortia ueræ
Virtutis populus facta, probandus erat.
Vrbi iam grauiter fulmenq́; globumq́; minantem
Egregium lugent Cliuica caſtra uirum.
Nă priùs hoſtilis rapit hunc procul ignis, & aufert,
Quàm poſito diras mitteret igne faces.
Tollitur ad cœlum clamor furioſus utrinq;,
Quo loca complentur cuncta propinqua ſono.
Creſcit amor rigidi magno certamine belli,
Funditur hinc ſanguis more fluentis aquæ.
Pugnaces ſubitò Phriſij, toruiq́; Sicambri,
Cùm loca ſuſtineant proxima, Marte ruunt.
Ecce animi iuuenis præſtantis Euiſius, agris
In Phriſijs ueteri nobilitate ſatus.
Intrepidus ferit hic hoſtes ubi copia pugnæ
Eſt data ſub portæ limine prima, feræ.

Horrendaſq; fremens cædes ſtrageſq; cruentas
 Duriter incautis hoſtibus ipſe facit.
Quæritat ex alto quanam ratione deorſum
 Turbet, & attractos præcipiteſq; necet.
E quibus innumeros tenebroſum mittit ad Orcum,
 Turbine dum uaſto feruidus ille furit.
Quin leuis aſcendens muros quatit, altaq; rumpit
 Mœnia confidens uiribus uſque ſuis.
Aggere non paucos pariter deturbat ab alto
 Fortis, & allapſos confodit enſe uiros.
Hos fugat ille furens, illos detrudit ad imam
 Vallem, multorum uulnerat arte caput.
Quoſdam cunctantes ingentibus obruit ille
 Saxis, quæ muri facta ruina dabat.
Interea ſocios inſtantibus uſque cruentis
 Hoſtibus amittit cædibus ille ſuos.
At tandem longo feſſum certamine uires
 Deficiunt iuuenem deſtituuntq; ſuæ.
Iamq; recurrebat conſperſus membra cruore,
 Cum grauis accepto uulnere plangit humum.
Alter in iſtius loca mox ſuccedit eodem
 Vſurus fato, ſed breuiore miſer.
Ante tamen multos occidit & enſe trucidat
 Fulmineo, caſu quàm ruat ille graui.
Hoſtibus elabi cæſis conatur, at ille
 In loca diſrupto ceſpite dura cadit.

Nec

Nec ſe tam ſubitis euoluere lapſibus unquam
Egregijs nota miles in arte poteſt.
Antè diu terra quàm ſurgere poßit ab uda,
Luctatur miris in ſua fata modis.
Dedecori lapſum ſibi duci ſentit, & artis
Conſcia mens magno uicta pudore iacet.
Eluat ut maculam ſibi, denuò fertur in hoſtes,
Cordaq́; mox gladio ſaucius alta ruit.
Tertius hunc ipſum liquidis periturus in undis
Occupat ingenti non ſine mente locum.
Pugnat, & audaci fugat hoſtes robore, uerùm
Labitur infœlix dum ſua membra mouet.
Auulſas manibus facto de ceſpite terras
Arripit, & ſtagni per loca fœda ruit.
Attonitus caſu mento tenus abditur undis,
Inuitoq́; nigras gutture ſorbet aquas.
Magna uiri plantas armorum pondera limo
Immundo ſparſas ad loca tetra premunt.
Mergitur, & totum corpus tegit unda repreßum
Turbida, quæ miſerum ſtrangulat hauſta uirum.
Intereà rigido crudeſcunt Marte tumultus,
Dum procul huc illuc flammea tela uolant,
Summaq́; uelluntur caſtrorum culmina, necnon
Terra repentinis pulſibus icta tremit.
Se ſubitò latebris Alemannica turma relictis
Effundit, ſequitur cætera turba ſemèl.

Exiliunt celeri procul Horſtera caſtra furore,
Proxima rem magna non ſine laude gerunt.
Hoſtibus incluſos agit impetus undiq; circum
Muros, acceſſus quà magis aptus erat.
Sectaq; iam petitur totis ita uiribus atra
Omnibus è caſtris Marte ruente ſuis.
Tota tuens urbs ſe refert crudelior hoſtes
Acriter, & tumido mœnia corde tenet.
Aggere de uiridi ſubito cum turbine multos
Tanta præcipitant obſidione truces.
Dant gemitus magno pereuntia corpora lapſu,
Alta petens cœli ſydera clamor erat.
Hæ ſtrages tepido tingentes ſanguine collem
Dicuntur trepidæ cauſa fuiſſe fugæ.
Præcipitem ſeſe dabat hic, procul ille uolanti
Fuſus humi globulo eſt, obrutus iſte iacet.
Stagnantem quoq; pars medio de colle ſub undam
Irruit hæc, alijs occupat oſſa tremor.
Omnia Mars dubius mortis terroribus implet,
Aſpera cùm fugiens pellitur inde cohors.
Mœnia crebra quatit perrumpens machina uaſta
Cum ſonitu, & rutilos torquet in iſta globos.
Iamq; grauem laxa ueterum compage ruinam
Hæc loca ſaxorum funditùs iſta trahunt.
Hinc circùm circà quaſſis quæ proxima muris
Obruta ui pulſo fulmine tecta cadunt.

Mauritij turrita ſuo de uertice porta
Labitur, & magnos dat labefacta ſonos.
Ingentemq́; ruens ſubſtantem fortè cateruam
Opprimit, hinc latè clara feneſtra patet.
Hac urbi metus incutitur ratione, ducesq́;
Iſtic plùs hominum protinus eſſe iubent.
Auertuntq́; graues celſis à mœnibus ictus,
Quæ uario princeps turbine fortis agit.
Vrbe ferè media Lamberto ſacra rotundum
In ſummo pomum culmine turris habet.
Vndè patent latè ſpeculanti tecta, canalis
In morem coctus quæ later igne facit.
Hinc hoſtes, & caſtra procul ſpectantur ab omni
Parte, feros iſtic urbs iubet eſſe uiros,
Qui citò continuos ignes iaculentur in hoſtem,
Plena quibus paſſim mœnia tota crepant.
Præcipit in primis quatiant tentoria templum
Mauritio fortis principis alta ſacrum.
Nec mora, congeminant tonitru, uolitantq́; per auras
Impulſi uacuas eminùs igne globi.
Sternitur hic, ruit ille cadens in ſanguine, multos
In uarias partes ignea maſſa ſecat.
Pluribus in tergum torquet caput, una ſupina
Altera prona magis pars moritura iacet.
Exhalans animam fluidos uomit iſte cruores,
Ille graui mutilus membra dolore furit.

Nanque manus aufert uni, ſua brachia multis,
Et longè fugiens corpora plura necat.
Aut caput à miſero, & uaga corpore crura reuellit,
Aut quatiens artus diſsipat igne globus.
Hic rapiens hominem totum ſemel aëra in altum
Conterit, ut uideas hinc ſupereſſe nihil.
Proficiunt uires nihil & ſapientia, nemo
Cùm ſibi de quauis parte cauere queat.
Omnia plena mali, mors omnia poſſidet, illa
Incurua reſecans, corpora falce metit.
Hîc proceresq́; Ducesq́; cadunt cùm milite uili,
Et miſerè telis pectora rupta gemunt.
Nam nihil omnino niſi mors truculenta uidetur,
Marte Duces tantus creſcit agente furor.
Fuſa cohors uulgò tanti ui turbinis, almæ
Vertitur in trepidam lucis amore fugam.
Turpia ſic fugiens auerſo uulnera tergo
Accipit, & currens ad ſua caſtra redit.
Agmina nunc cernas urentibus obruta flammis
Currere per campos turbine laſſa graui.
Nanque faces torquet fugientia in illa frequentes
Continuò furijs gens animoſa malis.
Stricta uelut lapſant gelido cum frigore terra eſt
Hinc media denſæ de regione niues.
Sic iaciunt flammas fuſos ſine fine per hoſtes
Mœnibus ex medijs, horrida monſtra, uiri.

Stragi-

Stragibus horrendis ſunt urbs & caſtra referta,
Alphaq́; cum foſſis, aruaq́; tota, ſuis.
Deſinit eſſe dies, ſerotina tempora caſus
Solis agit, tenebris nox ruit atra ſuis,
Cùm ſubitò fulgent ingenti mœnia luce,
Et rutilo claræ dant iter igne faces.
Victaq́; iam ſalſis ludunt tentoria uerbis,
Et minùs hæc grata mollia uoce uocant.
Mœnia conſcendunt chorus hîc muliebris, & unà
Hoſtibus inſultant ore patente ſuis.
Quid miſeri, dicunt, Martem tentatis iniquum
Imbelles, tardi, ſemiuiriq́; duces?
Quin potiùs famulos longa cum ueſte decebat
Vos nitidis domini Præſulis eſſe, ſacris.
Quid reprobis diſtent ſancti nunc cernitis omnes,
Quidq́; bis intinctis impia turba pijs.
Tùm uerò rapit, accendit, mouet, excitat, aufert
Illa Ducum magnus Martia corda pudor.
Audaces iterum rapida ui ſternere muros
Contendunt, ſonitu machina laxa crepat.
Omnibus huc adfert horrenda tonitrua ueſper
Serus, & ingenti fulmine cuncta micant.
Denuò rem tentant, ualidos quibus ira miniſtrat
Vires, & pugna dimicuere pari.
Vrbs propè uicta fuit tanto certamine, uerùm
Sors facit hîc miras Marte uolente uices.

Fortiter

Fortiter haud paruos auertit ab urbe furores
  Gens non dicendis accumulata malis.
Prælia nox tenebris grauis impedit horrida, cumq́;
  Spes cadat, occipiunt ſiſtere bella duces.
Bileq́; flagrantes turbato pectore pugnam
  Abijciunt, necnon agmina fuſa uocant.
E quibus, heì, multos preſſis cecidiſſe ſub armis,
  Corde magis triſti quàm ſibi fronte dolent.
Iamq́; tubis iuſſi repetunt cum murmure caſtra
  Ocyùs, & feſſi uulnera multa gerunt.
Atq; ferus rediens miles de cæde recenti
  Obuia quæque ſuo funditùs enſe metit.
Iurant, & Sectæ faciunt conuitia, multis
  Ingeminant uerbis Numina magna malis.
Sed tamen infeſti foris irreparanda tumultu
  Hoſtibus aſſiduo damna dedere ſuis.
Heù, quot in hoc ſtrages longè lateq́; uidentur
  Circuitu miſeræ, quem ſitus urbis habet?
Fœda quot urbs ſpacio tumulanda cadauera toto
  Caſibus è uarijs quæ cecidêre tenet?
Omnis ab aſperſo tellus rubefacta cruore
  Fumat, & ut pluuia fuſa cadente madet.
Feruent ſtagna ſua quæ cingunt mœnia cæde,
  Nec manet unius tota coloris aqua.
Non muri, non agger erat uelut antè, ſed iſtic
  Omnia purpureo ſanguine tincta rubent.

At qui-

At quicunque uelit cunctos numerare iacentes,
Grana quot hic Libyes area, dicit, habet.
Hinc uictu reuocant uires per caſtra parato,
Poſcitur & patrius uoce crepante liquor.
Caſibus hic uarijs memorant certamen, opimas
Aßiduo uincit ſermo furore dapes.
Charorumq́; ſibi ſociorum fata queruntur
Aſpera, qui plagis occubuere ſuis.
Cura coquit mordax generoſi Principis acre
Pectus, at hanc uultu dißimulante tegit.
Nam ualet hinc certò nullam ſperare ſalutem,
Si maneat tectis urbs ſtabilita ſuis.
Quare conſilijs aliam ſpem captat acutis,
Qua melius poſſet res ratione geri.
Immemor hic ſomni, uiniq́; cibiq́; frequenter
Cum prece ſollicitat ſupplice mente Deum.
Roſcida iamq́; ſuos aurora reducere uultus
Cœperat, & roſeis orta rubere genis,
Ocyùs hi gelidæ ſua iuſſi funera terræ
Infodiunt, loca dehinc fixa repente petunt.
Hinc incredibili magis & magis iſta dolore
Percita non modicè Vueſtphalis ora gemit.
Nam grauibus pagos terroribus implet & urbes
Rumor, quo nihil his durius eſſe queat.
Iam uiciße canit, qui depopulentur & igne
Et ferro, ſimul & perdere cuncta uelint.

Fama means celeri fertur ſuper arua uolatu
Vueſtphaliæ prauis læta grauisq́; bonis.
Nanque timent homines malè bella cruenta quieti,
Optant hæc eadem ſanguinolenta mali.
Res accenſa ſuis paulatim uiribus auctis
Creſcit, & in cunctos ſpargitur illa locos.
Mille fit hæc uulgò ſua per mendacia maior,
Quæ uariat, donec ſint agitata nihil.
Hic in peiorem ſtultè rapit omnia partem,
Albaq́; iudicio uertit in atra malo.
Ille ſuas nullo ſpargit cum pondere uoces,
Quem tenet infœlix ambitionis amor.
Hæc multi tumidis odioſè uoluere uerbis
Occipiunt, & ob id deteriora ſequi.
Diſſimulant quamuis licet hæc portenta ſub ipſis
Tantiſper tenebris, dum mala tanta uigent.
Sed cùm res alijs bene iam ſucceſſerit, uſquam
Suffuſi nullo corda pudore tacent.
Quod ſi Secta ſuos ſuperaſſet uiribus hoſtes,
Qualia iam paſſim, dic age, monſtra forent?
Hei mihi, geſſiſſent quàm ſe crudeliter omnes,
Atque futurus erat quantus ubique furor?
Ex facili ſimiles cauſa reperire fuiſſet
Europæ cunctis urbibus, imò locis.
Iunxiſſent uires, numerus creuiſſet ab omni
Parte, quid hoc ſani poſſet ab hoſte geri?

Intereà

Intereà magnos ducit fera Secta triumphos,
Totius excubias gaudia noctis agunt.
Lux erat, expediunt urbana negocia, noctu
Omnibus inſtaurant mœnia rupta locis.
Cnipperdollingus ſimul & Chippembrochus unà
Præcipui cogunt poſtmodò concilium.
Crechtingus nitidis bonus hîc nunc miles in armis
Sed populi paſtor iam pereuntis adeſt.
Hunc & oues circùm cupientes paſcua balant,
Quas ueræ ſpecie Religionis agit.
Cùm uiridem poſcant hæ puri graminis herbam,
Ipſas ſanguiuoris paſcit hirudinibus.
Adſunt canturi quæ ſint uentura Prophetæ,
Plebs quibus hæc temerè credit inepta uiris,
Alter Matthiades ciuis ratione remota
Adſumpto uates Numine maior erat.
Alter ſed Ianus minor eſt Leidenus, auito
Fortè tener iuuenis nomine Buculides.
En comitatus adeſt multis Rothomannus amicis,
Dogma quibus tanti perplacet omne uiri.
Hermannus præſens cœtu Tilbecus in iſto eſt,
Et malè qui dictus nomine Sanctus erat.
Conradus uerò dictus cognomine Criſpus,
Lucas Gruterus, Bontropiusq; leuis.
Henricus Potichus, Magnusq; Cohuſius, atque
Accinctus gladio Forde micante uenis.

Lambertus pariter patre Biſterbechus honeſto
Pogenitus, cordi cui mala Secta fuit.
Hic Eſchmannus, & hũc propè Mabbertinus, & ille
Oſſenbechus, & hac Rhuddus in arte rudis.
Qui ueteri obductos ferrugine uindicat enſes,
Bernhardus pariter pectus & ora niger.
Præditus & magna qui mente Bridorpius, & qui
A maris ipſe ſuum nomine nomen habet.
Focciades, necnon Eſſingus, & ille Ramertus,
Et cum Brochmanno dux Vuidemannus agit.
Ridiculum uideas & egentem mentis Hedingum,
Agmina qui ducit cuſpide multa leui.
Bellipotens Paulus ruit huc Scherringus, & unà
Caſſius hîc præſto mox Ioachimus erat.
Protinùs in medium prodit Vullenſis, & acri
Pectore Carcringus nobilitate ſatus.
Albertus patiens animi Videnhouius, ipſe
Et Stripus, & uietor conuenit ille Petrus.
Atque ſacerdotum Cloprißius hoſtis, & ille
Strallius, & nomen cui Laniena dedit.
Hermannusq; ferox dictus de claue, ſuiq;
Graſſius ingenij mobilitate uafer.
Aduenit in primis Tilemannus ſartor, & ipſe
Qui tenuit faciles antè, Rheningus, opes.
Delyrusq; ſenex Redecherius ille furenſq;,
Nec Gallus patria Bartolemæus abeſt.

Et gene-

Et genere inſignis Theodorus *Aliſius,& qui*
Incurua pecori ſtramina falce ſecat.
Spemq́; fouens hæres operis Bernhardus *auiti*
Luchius inſignis nunc noua textor auet.
Quiq́; ſoles fixis Laurenti *fallere piſces*
Hamo lumbricis doctus in arte rudes.
Et longè plures, quos fama recondita cælat,
Conueniunt in idem cum grauitate loci.
Mutuò ſeq́; cient ad bella futura, ſuumq́;
Hortantur populum, ne timeatq́; monent.
Congaudent animis,& geſtu corporis, atque
Auſpicijs referunt prælia facta bonis.
Sed miſeri ignorant,quòd non ſemel una uolando
Ver tepidum, ueluti fertur, hirundo facit.
Triſtia ſunt iſti miſeris ſpectacula notis,
Et mixto feriens corda pudore dolor.
Præcipui tandem populo ſpectante per orbem
Conſultant qua res arte gerenda foret.
Stant medio domini ſpacio, rigidiq́; prophetæ,
Hos ſtipat magno turba coacta choro.
In gelidam uates terram ſua corpora ponunt
Attoniti,flatu nec ſua membra mouent.
Hiq́; iacent tacita domiti ceù morte ſupini,
Obliquam faciunt brachia ducta crucem.
Expectatur enim longo ſic tempore ſanctus
Spiritus,& magni iuſſa uerenda patris.

Surgentes tandem ſtupefacti lumina tergent
Cæca manu, ſpectant aſtra ſuosq́; uice.
Non aliter quàm cùm uino, ſomnoq́; grauatis
Diſcutitur ſonitu lucidiore ſopor.
Inter ſe taciti pauciſſima uerba ſuſurrant,
Maior Buculidi *dicere mandat opus.*
Omnibus ex animo cupidis & hiantibus unà
Iſta minor lingua diuite uerba facit.
Omnia ſunt antiqua nouis mutanda, faceſſant,
Qui tantum miſeris impoſuere iugum.
Iam Deus inſtaurat montem cum lumine priſco,
Qui fuit in Solymis *Relligione ſacer.*
A binis niſi ſit decretum ritè Prophetis,
Audeat hîc quiſquam conſtituiſſe nihil.
Conſecro bis ſenos (digitis hos ſignat) ut huius
Sint tanquam populi lumina prima, Patres.
Et quicquid rerum decreuerit iſta poteſtas,
Eſto ratum, niſi ſi fortè Propheta *uetet.*
Huic Pater *ipſe nouo iubet ut uetus auribus æquis*
Omne Magiſtratus cedat ubiq; genus.
Admonet hinc cœtum Rothomānus, *& hoſce popello*
Commendat toti nomine quemque ſuo.
Poſtremò quò ſint noctesq́; diesq́; parati
Mandat, ut audierint murmure ſigna dari.
Hæc ubi facta, bonus uates hos ducit, ut apto
Ordine conſiſtant Plebe *uidente, uiros.*

Inq́; manum primò tradens flagrantius enſem
Talia fatidico uerba furore facit.
Hoc reſeces iuxta iuſſus Patris omnia ſanctos,
Quæ prohibent cœptam continuare fidem.
Porrigit & reliquis gladium, poſitisq́; Parenti
Poplitibus grates ſoluere cura uenit.
Omnis in excelſis ſit gloria perſonat altè
Turba Deo. Tantùm pectora noctis habent.
Sed Deus, hèm, patiens non irridetur, acerbum
Tempus erit, cùm non talia facta uolent.
Ecce ſuam præceps attollit in aëra uocem
Tilbecus, falſò uoluit & ore Pater.
O Pater indignus ſum quo me munere donas,
Multiplices populum ſic magis, oro, tuum.
Eligit & uates, per quos citò tota ſupellex
Vrbis, & ingentes colligerentur opes.
Quælibet ut capiat iubet hìc uicinia binos,
Quæ ſibi paſtoris nomen habere ſolet.
Omnibus ut poßint, ueluti res poſceret, aptè
Hæc bona diſtribui tempore cuncta ſuo.
Excipit & ſeptem certos è Plebe miniſtros
Imponens capiti cuilibet ille manum.
His bona committit cunctis communia, ſic ut
Si ferat uſus, ab his quilibet illa petat.
Quiq́; pijs præſint ſyncero pectore menſis,
Diuitis ut ſancta pauper alatur ope,

Prætexunt factis ſpeciem bonitatis apertam,
Quò populus uerè crederet eſſe pios.
Non procùl à porta ſenas ſpacioq; capaces
Vno conſenſu conſtituere domos.
Paſcitur in'que die bis plebs uulgaris in iſtis
Sic ſatis exiguo, pro pietate, modo,
Hîc reſident fratres ſoli, ſolæq; ſorores,
Pars regit hos, pars his cuncta miniſtra gerit.
Omnia more gerunt ſua munia Pythagoræo,
Audeat hîc hominum paucula nemo loqui.
Protinùs appoſitis hilari cum mente fruendum,
Sorteq; contentum quemlibet eſſe decet.
Si quis plus Cereris ſibi cultro diſſecet atræ,
Quàm comedat, multis teſtibus arguitur.
Antè preces fundunt ſua quàm ieiunia ſoluant,
Poſt epulas Pſalmum uoce ſonante canunt.
Hoc utinam fieret, quo more iubesq; facisq;
Sedulus exemplo CHRISTE colende tuo.
Deſignant alios qui Verbi dummodò curam
Narrandi populo, res ubi poſcat, agant.
Quiq; foràs poſthàc alias mittantur ad urbes,
Vt mala conuertant dogmate corda nouo.
Et ſacra qui populo per ritus dona miniſtrent
Mentibus, ob domini quæ bona iuſſa ualent.
Sunt condonati per CHRISTVM criminis unũ
Omnibus iſta ſui pignora certa pijs.

Sed

Sed modò ſunt ludus myſteria tanta prophanis
Hæc Anabaptiſtis, quos minùs illa mouent.
Et quamuis ſimulent, nihili tamen ardua pendunt
Biblia, nec ritus, quos decet eſſe, ſacros.
In tumido ſanctus uerſatur ſpiritus ore
Omnibus, hæc conſtat nam ſibi Secta nihil.
Omnia ſic faciunt, ut res manſura putetur,
Sed nequit illa diu facta colore tegi.
Occipiunt aliquot meditari regia ſecum
Sceptra, uelut ratio quod uitioſa facit.
Vueſtphalus in primis Cnipperdollingus, & alter
Buculides Bathauus ductor uterq; uafer.
Notaq; de regno paucis acerrima longo
Anceps inter eos tempore pugna fuit.
Paulatimq; trahunt partes, ſermone loquaci
Et forma ualet hic, ſed magis ille manu.
Vt ciuem natum, præſtantem corpore necnon
Mente uirum ſanè plurima turba colit.
At magis hunc multi, præſertim fœmina, blandum
Vueſtphalides Bathauum deſipienter amant.
Nunc adhuc occultè Bromio Veneriq; parentat,
Sed neq; cælari hoc, ut neq; flamma, poteſt.
Hinc opportunum populis oracula tempus
Cœlica reddat ut hic poſtulat ore ſuis.
Matthiades fautor collegæ tradit apertam,
Ipſe poteſtatem, dicat ut illa, ſuo.

Tres noctes totidemq; dies ſimulatur adempta
Haud capto ſtupor hîc mentis in urbe, cibo.
Veſcitur at tenui libo, quod ueſte tegebat
Atque ſinu, tantùm pectore fraudis alit.
Expectant miſeri quorſum res urbis agenda
Euaſura ſuo turbida fine foret.
Quarta dies aderat, uigil expergiſceris atque
Aſpectas populum mute Propheta tuum.
Non aliter quàm cùm Baptiſtæ dia parenti
Angelus in Templo uerba locutus erat.
O quod non timeant, ſibi ne citò terra dehiſcat,
O imitatores impia turba mali.
Carbonem uarijs ſibi ſignis poſtulat atrum,
Exaret ut certo uiſa colore uiris.
Dumq; notis bene rem conatur pingere totam,
En ſubitò uinclis lingua ſoluta uiro eſt.
Voce Senatores quos antè creauerat omnes
Fautores partis nunc uocat ille ſuæ.
Ecce, ait, hæc ſuperi uobis reſponſa Parentis
Pando, iubet noſtrum prolificare genus.
Iam ſterilis poterit dimitti protinùs uxor,
Si uir non potis eſt, deſerat illa uirum.
Quiſq; quot ipſe poteſt ſibi fœtas reddere, Nymphas
Ducat, & hoc iuris coniugis eſto ratum.
Aſſenſere uiri, & populi pars maxima, nempè
Cui Venus & cordi fœda libido fuit.

Fit biga.

Fit bigamus trigamusq́; furens, quartamq́; laborat,
Et quintam thalamo iungere nocte ſuo.
Quin alijs & uirgineum rapit undique florem
Blanditijs, Tantùm corda furoris habent.
Quod libet ipſe facit, neq; quem timet ille, quòd iſta
Facta Senatores qui tuerentur, erant.
Hoc & idem faciunt iſti, totamq́; per urbem
Pars hoc magna pari plebis amore facit.
Hæc ubi facta uident oculis uigilanter apertis
Quidam, deceptos pœnitet eſſe, uiri.
Conſpirant unà, portas aperire uel urbis
Hoſti conſilium pluribus omne fuit.
Altera pars obſtat cupiens regnare potentem
Cnipperdollingum, nec tamen iſta probat.
Suadet ut & uatem concludant carcere, multis
Hoc placet, inq́; uirum dura per arma ruunt.
Securum rapiunt, nec quicquam tale timentem,
Et ſubitò forti compede crura ligant.
Hoc Bathaui prohibere nefas cum murmure certant,
Enſiferum captum ui rabiente trahunt.
Authores facti quærunt, multosq́; trucidant,
Tota conflictus nunc fit in urbe grauis.
Intereà portis pars hoſtis magna propinquat,
Vrbs in ſe trepidis dum capit arma ſonis.
Hæc niſi dum fiunt defendat mœnia ſexus
Fœminei paucis freta caterua uiris,

Prælia

Prælia uertiſſent ſcelus inteſtina nefandum
Hæc ſemel, expletum ſi modò tempus erat.
Maiores uoluit furias permittere Numen,
Quòd pauci curam Relligionis agunt.
Occupat his ingens bellis pars pulſa trementi
Iudiciale fuga nocte ruente forum.
Munit & hoc ſperans hac ſe ratione tueri,
Et fœdos armis uincere poſſe uiros.
Altera lux oritur, Bathaui iam uiribus acres
Oppugnant iſtud Marte furente uafri.
Incipiuntq́; globos tormentis mittere crebros,
Hoſtes dant uictos dura per arma manus.
Educunt uatem triſti de carceris antro,
Et claro læti murmure uocis ouant.
Cnipperdollingus ſe purgans liberat omni
Educi cupiens ſuſpitione mali.
Impetrat id facili ratione quod optat, ut acri
Marte uir excellens ingenioq́; ſuo.
Soluitur & priſcis cum iuſſibus enſe recepto
Ipſe quod officium geſſerat antè, ſubit.
Nam dux præficitur reliquis præſente Senatu,
Crimina qui gladio patre iubente ſecet.
Seu quis conſilijs ualeat linguáq́; diſerta,
Seu quia bellator ſit bonus ille manu.
Sin aliquis uerò uili de plebe fuiſſet,
Huic priuata ſuo lumine uita foret.

Hunc & rumor abit quoſdam ſuaſiſſe necandum,
Aut magis occultè toxica danda uiro.
Sed neque poſſe putant defendi mœnia pacto
Vllo, ſi tantum deſit ab urbe caput.
Diſſimulat mentem, quærit quid Principis arma
Attentent miſeris illa cruenta mali.
Intereà Vates inimicos mente furenti
Comprenſos uaria cæde dat ipſe neci.
Atque ſuos contrà Cnipperdollingus apertis
Afficit aggeſto robore ſupplicijs.
Aſt aliud crimen tamen his impingitur, illa
Quòd uiolent uitæ dogmata ſacra nouæ.
Ante fores Pauli Tiliæ frondentis in umbra,
Erigitur palus, crux inamœna, ferus.
In medio curui ſtat ferri maſſa, cruento
Quæ miſeris ligno colla ligata premit.
Certatim pugnant fixis infligere pœnas
Horribiles, cædis cuncta referta iacent.
Aut palo uinctus palmas poſt terga, ſagittis
Figitur, & rupto pectore uita fugit.
Vel globulis corpus petitur per fulmina tortis,
Tunditur aut quaſſum fuſte crepante caput.
Aut miſeris rigido fodiuntur lumina ferro,
Vel gladio incumbunt triſtia corda fero.
Denique dira truci pro lege libido furenti
Cuique ſua eſt, tantùm monſtra furoris agit.

O miſeri

O miſeri, quos tanta premit fremebunda tyrannis,
Quam Stygius uafra ſpiritus arte facit.
Iam tandem miſeros iugulandi finis in urbe,
Sed nondum tanti meta furoris erit.
Ceßat Gradiuus, regnandi dira Cupido
Flagrat, agit mentes gloria falſa malas.
Captant conſilium tacita ſub nocte Prophetæ
Tradentes operas mutuò peſtiferas.
Orbi lux oritur Phœbo redeunte, prophanis
Sed tenebræ creſcunt mentibus uſquè magis.
Matthiades mandat ſibi concio tota uocetur,
Proruit in ſolitum Secta cruenta locum.
Protinùs attonitum conſueto more ſupinum
Conijcit in gelidam turbine corpus humum.
Surgit & ille ſolo & ſuſpectat lumina Phœbi
Clara gemens, necnon talia uoce canit.
Iam Deus expulſo noua regna reſuſcitat hoſte,
Iam rediuiua nouæ Iura Zionis erunt.
Hic præſens cunctis modò qui dominabitur oris
Rex meritò dictus nomine Iuſtus adeſt.
Cœlitùs huius erit quoque tanta potentia Regis,
Viribus ut nihil huic poßit obeſſe ſuis.
Ille graui totum cum Maieſtate per orbem
Ibit, & huic cedent omnia regna Duci.
Hunc gladio pater omnipotens utroque potentem
Efficit, ut regnis præſit, & ille ſacris.

Enſe

Enſe Magiſtratus omnes Gedeonis acuto
Contundet, nolint qui iuga ferre noua.
Subiectis parcet, ſua ſi malefacta uolentes
Abijciant, & fas Iuſtitiamq; colant.
Par illud ſtatuet regno Dauidis, & armis
Et bene munitum Legibus ipſe geret.
Exultant Bathaui tacitis ſub cordibus, atque
Præſcia uenturæ turba maligna rei.
Arrigit hic aures Cnipperdollingus apertas,
Quiq; fauent timida non ſine mente uiro.
Et tacita cum uoce petunt à uate quis eſſet
Ille, quod ut norunt, ſpes ſimul omnis abit.
Nec tamen hi ceſſant, conantur tradere Sceptrum
Matthiadi, ciuis cùm foret ille uafer.
Sed dare ſe reſponſa Dei cauſatus honeſtis
Oblatum uerbis ipſe recuſat onus.
Siue quòd exitium ſibi fortè timeret acerbum,
Siue aleret monſtri mens quid amara mali.
Deputat hoc alij gaudens modò nomine uatis,
Numine Pythonis qui propè plenus erat.
Ecce uiri ſolùm diuinitùs, inquit, habendum
Hoc mihi mandauit munus in urbe Pater.
Quò bene mens noſtris data digerat omina rebus,
Fatidicoq; pijs ore futura loquar.
Haud Patris hæc poſſunt mutari fata ſupremi,
Omne quibus toto cedat in orbe genus.

Hæc

Hæc ubi dicta dedit tantus maleſana prophetes,
Pars aduerſa fero murmure tota fremit.
Nec temerè pugnis hæc abſtinuiſſet acerbis,
Si ſcelus expletum tempore grande foret.
Nec mora collegam deſignans nomine uatem
Buculidem proprio corde micante uocat.
Hunc iubet, ut flexis genibus procumbat, in orbem
Accitis patribus qui tueantur eum.
Impoſitaq; manu caput illius ipſe perungit,
Eſtoq; rex, inquit, quem pia fata petunt.
En manſura tibi ſceptri do ſigna per annos
Aeternos, curæ cætera mando tuæ.
Nam pater hic ſummam rerum tibi tradit, apertam
Dansq; poteſtatem dicere iura facit.
Acclamant hilares Bathaui, regemq; ſalutant,
Fœlix & fauſtum ſitq;, precantur, opus.
Ille manus tendens iunctas ad ſydera, patri
Supplicis has grates more gementis agit.
O pater ipſe licet iampridem fata uiderem
Fatidica ſortis mente futura meæ,
Non tamen hoc tali dignum me rebar honore
Tam miſerum, Solus facta ſtupenda paris.
Laus tibi ſit pater ò, tua cùm ſit certa uoluntas,
Cui quiſnam fragilis, quæſo, repugnet homo?
Hæc eſt illa dies, Gens ò generoſa, uidebam
Quam fore, cum uobis fata loquebar, ait.

Sæpius in uulgo uox eſt audita, futurum
Vt uates toto dux ſit in orbe pius.
Quare ſancta mihi plebs exaltanda per orbem
Pareto totum corde uolente, precor.
Atq; patri meritas ſtudeas perſoluere laudes,
Et tua dulciſona carmina uoce canas.
Extollunt Bathaui uoces, pars cætera curas
Vi minor & numero corde dolente tegunt.
Iemq; ſolo ſurgens tanto lætatur honore,
Cui cor inanis amans laudis opumq; ſalit.
Atque mali patiens nulla formidine regnum
Occupat, & magna rem grauitate gerit.
Sanctaq; confidens transfert oracula cunctis
In ſe de cœlo tradita temporibus.
Splendida cui pulchrè prætendit nomina, quando
Iuſtitiæ regnum perpetuumq; uocat.
Orta ferè talem Mahumetica regna per anſam
Creuerunt uariјs accumulata malis.
Alfenus quondam Vafer è ſutore creatus
Conſul, at hic ſartor munia Regis obit.
Scilicet egregius, nec habendus in agmine plebis
Vulgari, rebus nomen inane caret.
Vt cera & filis ita forfice clarus adunca eſt,
Lignea pro ſceptro cui priùs ulna fuit.
In uarias uixdum pannos diſcindere formas
Veſtis, & hos tenui ſtringere doctus acu.

Quin ſolitus tritos magis inſtaurare, ſub imo
  Veſtitus pede qui fortia crura tegunt.
Vt fuit haud iuueni bonus hac ſucceſſus in arte,
  Omnia ſic ultro regia facta fluunt.
Aeditus hic infans in lucem Regulus almam
  Ex illegitimo dicitur eſſe toro.
Sed fuit ut Phœbus ſeptem reuolutus in annos,
  Tum rata coniugij pacta fuiſſe ferunt.
Vt Bathauus pater huic humilis, ſic nata Daropa
  E tenui uico Vueſtphala mater erat.
Hæc famulans Ledæ ſartori, miſcuit illi
  Furtiuo corpus tempore concubitu.
Vxor erat ſterilis, cupidus uir prolis, eò cum
  Conſueuit famula perfidus ille ſua.
Sic geneſis monſtroſa quidem ratione frequenter
  Crimina quadranti prodigioſa parit.
προσωπογραφία Regis. Corpus ſic ſatis eſt longum, gracili'q; decore
  Compoſitum, nitido membra uigore ualent.
Per caput à tonſo flaueſcit utrumq; capillo
  Tempus, habent flammas lumina glauca ſuas.
Prominet os roſeum, labium quod honeſtat utrumq;
  Craßius, & modicum naſus acumen habet.
Forma uirens nunquam teneris inuiſa puellis,
  Corda quibus flagrans ſemper adurit amor.
Læta uiget iuueni primæuo flore iuuenta,
  Nec malas leues hiſpida barba tegit.

Sed modò ueſtitur tenera lanugine mentum,
Quæq́; ſubeſt gemina candida nare cutis.
Ante pilos uenit huic ſapientia tanta uiriles,
Occupet auſpicijs ut ſua regna datis.
Prodigus hic uitæ gurgesq́;,ſuiq́; profuſus,
Atque ſalax,cupiens mox aliena,ferox.
Linguaq́; falſiloquo ſeſe uaga uertit in ore,
Et nimia ſemper garrulitate loquax.
Confidens animi,leuior,uarioq́; ſub aſtu
Mens aliquod magnum ſubdola uerſat opus.
Vt ſacra per ritus noua,ſic ciuile paratur
Regnum,quod decorent iusq́; piumq́; modò.
Bis ſenos canit ille Patres ſapienter habendos
Mutata ſtatuens uoce priore Duces.
Officijsq́; ſuam regalibus inſtruit aulam,
Et bene quemque ſuum munus obire iubet.
Mollibus hic uerbis primùm ſua tempore firmat
Regna breui, & quò uult pectora capta trahit.
Paulatim populum grauiore ferocior uſquè
Imperio creſcens proſperitate premit.
Dans etenim rata iura ſuis uult eſſe,grauisq́;
Pœnæ qui uiolent hæc iacit ille minas.
Principio edicit,ne quid tractetur in urbe
Præter quod Templi rex iubet ille noui.
Tantaq́; nec faciant parui mandata,ſed iſtud
Quilibet addicto corde faceſſat opus.

Munſterum caput Imperij canit eſſe perennis,
Toto ſpargendi uiribus orbe ſuis.
Omnibus hæc ualuis aſcribi uerba per urbem,
Germanis mandat ſplendidiora notis.
„ *Sola meæ uires diuina potentia, toto*
„ *Non erit humanum robur in orbe meum.*
Non ſecùs ac iactans crudeli uoce flagellum
Attila diuinum ſe ferus eſſe canit.
Hic ſua decepto promulgat dura popello
Iuſſa, minantur ei quæ uiolata necem.
Omnia comportent quæ ſunt collecta per ædes
Aes, aurum, ueſtes, uaſaq́; cuncta iubet.
Auribus hæcq́; capit ſenſusq́; reponit in imos
Ebria plebs furijs, regia dicta, malis.
Nec mora ſollicitè faciunt hæc iuſſa frequensq́;
Pars hæc ſponte quidem, ſed magis illa metu.
Hinc inſigne fit, hinc ſceptrum, diadema, retortus
Annulus, & uarijs aurea bulla notis.
Cuprea fit, rutilum tonitru quæ, machina, fulmen
Mittit, & hoc omnes experiuntur opus.
Præcipit excudi regale Nomiſma, quod aurum
Aut parit argentum, cum liquefacta fluunt.
Hac inſculpta rigent inſignia regia parte,
Illa ſcripta ſacris lucida margo notis.
Rex iuſtus, uerùm modò rebus in omnibus unus,
Tempore cui cedant omnia regna breui.

Hic Deus unus erit cunctis, baptiſmus & unus,
 Vnaq; Munſteri iam renouata fides.
Altera non paruis titulis ſignata micat, quos
 Prætexunt uitijs impia corda ſuis.
Sit niſi quis per aquam, ſancti ductuq; renatus ”
 Flaminis, ille Dei regna uidere nequit. ”
Factaq; Diuino ſacrum caro Numine Verbum ”
 Inter nos habitans corda potenter agit. ”
En pia quo CHRISTI detorquet uerba furenter,
 In quibus, heì, noſtræ ſumma ſalutis ineſt?
His ita regali tandem de more peractis
 Tota petit notum turba uocata locum.
Rex ſolio grauis ecce ſedet tumidoq; coronam
 Vertice ſceptra manu fulua colore tenet.
Dat noua iura ſuis, & leges mutat auitas,
 Abrogat & priſci quicquid honoris erat.
Ipſius, in ſumma, ſtatuit quod acuta uoluntas,
 Vim pietatis habet, uim quoque iuris habet.
Omnia Scripturis ea confirmantur apertis,
 Dogmate deflexo, quò uocat aula, ſacro.
Regule cur homines falſa ſub imagine ludis?
 Et tecum miſeros ad Phlegethonta trahis?
Nam tibi luſa ſuo parit hoc plebecula regnum
 Sanguine, quod fieri pro pietate putat.
Quolibet illa rudis rerum citò fertur, ut undam
 Arbitrio rapiunt uentus & aura ſuo.

Quæ dic ſpe tumidos audes tibi ſumere faſces,
Aut aliena furens fingere regna potes?
Quid tibi perſuades fœlicia ſomnia, quid tu
Figis in eximios lumina ſæua Duces?
Conſpicuas tantùm, decorant quæ corpora, pompas,
Et quæ ſe produnt, exteriora uides.
Te'ne mouet Regum ueſtitus purpura, linis
Aurea picta ſuis lamina te'ne mouet?
Ten' rapit & torques, quæ fuluo ſplendet ab auro?
Et facit ut niteant lumine colla ſuo?
Quòd digiti gemmis longè ſplendentibus auro
Incluſis, ſimul & cætera cuncta micent?
Quòd quoque publicitùs ſic rex incedat, & auctos
Turgeat ob nummos ciſta referta ſuos?
Quòd lautæ menſis epulæ geminentur onuſtis,
Bellaq; nec miſtis uina bibantur aquis?
Aere quòd & radient fulgente paropſides, atq;
Aurea mirificis pocula facta modis?
Balnea quòd magnis adeat ſplendoribus, & quòd
Aſsyrius foueat corpora fuſus odor?
Quòd multos habeat, faciant qui iuſsa miniſtros,
Et domini nutus Imperiumq; colant?
Diuitijs uarijs quia polleat, & phaleratis
Huc illuc fœlix ipſe uehatur equis?
Quòd ſuperent nubes aurata palatia, & altis
Atria conſurgant ſplendida culminibus?

Præſtrin-

Præſtringens oculos nitor aufert iſte prophanos,
Et tua magnificæ corda morantur opes.
Sed ſi perſpicias animum quæ Principis urunt,
Mutabis mentem conſiliumq́; tuum.
Si tibi nota foret multos ea uita per annos,
Non onus aſſumens, ſat ſcio, tale petas.
His animiq́; graues infinitosq́; labores
Corporis aßiduè tempora resq́; ferunt.
Nec modò quæ cogunt uix cœptos rumpere ſomnos
Nocte, ſed & totos peruigilare dies.
Lux eſt, perpetuo luctatur turbine rerum
Expediendarum, quæ ſine fine ruunt.
Si nox, ipſe uigil ſugentibus oſſa grauatum
Obruitur curis corde premente caput.
Hic hoc, pars aliud, magnas fert ille querelas,
Et ſibi iudicium protinùs iſte petit.
Nunc alibi fines ualidis quatit impetus armis,
Nunc alibi partas abripit hoſtis opes.
Huc quoties ueniunt alia de gente profecti
Triſtia qui regi nuncia ferre ſolent?
Vix ſpacij tantum ſupereſt, ut prandeat, imò
Cùm recipit tabulas undiquè ſæpe nihil.
Quòd conſultandi locus eſt capiendus, & in quam
Tendere ſit licitum diſpicienda uia eſt.
Haud mora currẽdum eſt illi ſurſum atq; deorſum,
Publica ne ſubitò res malè geſta ruat.

„ Inuerſi Princeps Sileni ducitur eſſe,
„ Intùs, ut hi fulgent, ſic foris ille nitet.
Nam bene rem propiùs ſi quis conſyderet iſtam,
Inueniet magnis omnia plena malis.
Vnde ſonum torquis, quo dicitur, accipit aptum,
Quòd grauis heroes torqueat illa uiros.
Pallida de niuea pendens ceruice cathena,
Quò minimè cupiunt corpora ſæpe trahit.
Fœmineum facit illud idem grauiusq; monile,
Quòd moneat ſemper pectora nomen habet.
Nec malè de cauſa ſimili Segmenta uocantur,
Triſtia quòd duro corda dolore ſecent.
Vix ſinit iſta comes magnos requieſcere reges,
Dum cor perpetuis æſtuat omne malis.
Aureus ut molles digitos premit annulus, in quo
Splendida magnifico gemma nitore micat.
Sic pia mordaces horum præcordia curæ
Noctes atq; dies anxietate premunt.
Non magis uſquè iecur Tityi reparabile rodunt,
Quas crucians uenter uexat inanis, aues,
Quàm ſemp dolor hos homines, mihi crede, fatigat
Aßiduo pectus ſollicitante metu.
Diſtrahitur Princeps per mille negocia, multus
Dicendi patriæ ius ſine fine labor.
Prætereo quantis agitentur ubique periclis,
Dum benè conſultum Gentibus eſſe uolunt.

Quid,

Quid, quòd pro populo rebusq́; per arma tuendis
Contingit mortem duriter oppetere?
Quis grauiora, precor, ſtruat his diſcrimina, q̃ qui
In dubium uitam ſeditione uocant?
Vt facis heroi Vualdecho turpiter, huius
Exagitans furijs oppida cuncta tuis.
Atquì non tantùm rabioſi tempore belli
Impendent magnis talia fata uiris,
Sed ſolet in toto fieri magis orbe frequenter,
Hi bene compoſitis rebus ut enſe cadant.
Cùm domini furerent odio regnantis atroci
Caßius, & ſceleris Brutus in urbe comes,
Vulneribus tribus & uiginti Caius Orcum
Iulius acceptis corpore Cæſar adit.
Venaq́; nec tutò fuit icta Philippe, cruento
Quin Otho ceruicem tunderet enſe tuam.
Sed nihil Exemplis opus eſt hìc pluribus, iſto
Ethnica cum ſcateant Scriptaq́; Sacra malo.
At nimìs imbelles animis fortaßè puſillis
Dixeris hos, tali qui periêre nece.
Si mihi non credis, reuerà diſce, cruento
Quòd ſua ſit nulli uita beata uiro.
Te niſi ſi Samij fortuna Polycratis illa
Quo grauius rueret, ſplendida fortè mouet.
Quid Siculus ſibi uult Dionyſius enſe Tyrannus
Suſpenſo ad laquear, quà ſedet ille colax?

Iſte uiri miratur opes, miratur honores,
Fœlicemq; leui ſæpius ore uocat.
Rex hominem tumidus certas accerſit ad horas,
Et capiat ſecùm fercula lauta iubet.
Huic tenui gladius ſeta dependet acutus,
Demiſſa nitidus cuſpide mucro micat.
Hoc animaduertens animo ſatur ille trementi
Delitias ſpernit multiplicesq; dapes.
Improbat & ſecùm tacitus quod laudibus antè
Extulerat damnans uota priora nouis.
Non aurum miſero, nec opes, nec regia pompa,
Nec mera mutato pectore uina placent.
Rex pauidum tandem uerbis illudit apertis
Fauſta rogans ecquid regia uita foret?
Talia ſunt, inquit, quæ ſtulte beata putabas,
Imminet hæc ſummis mors uiolenta uiris.
Quod grauis euentus uitæ monſtrauit & huius,
Fugit ut è regno pulſus & ille ſuo.
Quin animo regis ſuſpecta timentis habentur
Omnia, ne quid fraus inſidiantis agat.
Hic opus ingenti famulorum turbine, corpus
Viribus armorum qui tueantur, habet.
Cominùs aſsiſtunt edeatræ, Lyncea qui mox
Huc illuc Argi lumina more ferant.
Eſuriens audet ſibi nullos ſumere, tuto
Sit niſi prælibet qui priùs ore, cibos.

Sæpe uenena latent nitidis lætalia gemmis,
Aurea cùm præſens pocula uirus habent.
Ergò, agè, quis Regum ſibi fortunatus, acerba
Qui tremulo ſemper pectore fata timet?
Quid tibi commemorem miſerandos ordine caſus,
Quos parit ipſa uagæ Fors malè nixa rotæ?
Magna fuit quondam tumidi reuerentia Crœſi,
Quo Sardis ſaluo Regia diues erat.
Sic fluit ex uoto res huic optata, potenti
Vt ſibi nil quicquam poſſe nocere putet.
Eſto, ſit ut proſper Fortuna ſtante parumper
Fortè, ſed inuerſa quid fuit ille uice?
Dic mihi, quid Craſſo morienti profuit aurum?
Et quas captauit ſemper auarus, opes?
Non facit imperium, non auri copia quenquam
Fœlicem, ſplendens non Diadema facit.
Sola fides reddit nos non fucata beatos, „
Qui colimus, CHRISTO non renuente, Deum. „
Siue Magiſtratus, ſeu tu priuatus haberis,
Seu rudis in quauis, ſeu magis arte uales.
Siue ſacerdotis commiſſo munere caſti
Fungeris, & ſacris ipſe miniſter ades.
Seu cœlebs, ſeu tu coniunx, ſeu ciuis, agendos
Seu tua per mannos Ruſticus arua colis.
Deniquè non uitæ genus eſt præſtantius ullum
Illius aut huius, diues inopsq; pares.

Nullaq;

Nullaq; Gens, liber, ſeruus, iuueneſq;, ſeneſq;,
Nec tibi diſcrimen fœmina uirq; facit.
I nunc & rapiens affectes regna ſuperbus,
Ex quibus accerſas hæc mala tanta tibi.
„ Plus aloës ſemper magni uaga Principis aula,
„ Vitaq;, quàm mellis, ſi mihi credis, habet.
Ne rape Sceptra furẽs, Deus eſt qui donat & aufert,
Hanc ornans Sparten, quam dedit ille, colas.
Et meritas metuens grauiora pericula grates
Factaq; ſyncero pectore digna refer.
Ni cũperet regnum mens Abſolonæa paternum,
Cæſarles laquei non uice pulchra foret.
Nec, quia legitimus Regis ſit filius ille,
Nec, quia ſit pulchro corpore, Sceptra capit.
Perſica ni Suſis raperent ui regna furenti
Turba minùs ruerent ſeditioſa Magi.
Vt ſileam reliquos, crudeli cæde peremptos
Innumeros, quorum nomina clara patent.
Vt ſtolidus fuerit quiſquis ſibi munia nautæ
Sumat, tempeſtas quem domitura trahit.
Sic quicumque rapit ſibi tanta negocia Regum,
Non ſolùm hoc ſtultus, ſed furioſus agit.
Nam grauiore palàm iactantur turbine, quàm qui
Aequoris in tumidis nauita fertur aquis.
„ Verùm ſorte ſua nunquam contenta quieſcit
„ Mens hominum tantis non ſatiata malis.

Nam noſtris aliena bonis meliora putantur,
    Cuiq; ſuum uitæ diſplicet uſquè genus.
Quid miſeros noſtri ſemper nos pœnitet? an non
    Hinc mala per Mundum cernimus iſta ſequi?
Namq; odium liuor parit, illud iurgia, dæmon
    Quæ Stygius noſtra cum ratione mouet.
Hinc fera terrarum conſurgunt bella per orbem,
    Hinc genus humanum grandia damna manent.
Ex his proueniunt harum certamina rerum,
    Quæ ſcelus horrificis hoc peperere modis.
Sic morbis natura ſuis uitioſa per acres
    Affectus homines in mala tanta trahit.

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER VI.



Mnia conſilijs & nutu Regis aguntur,
    Nec reliquos curat, fecit ut antè, Duces.
Spernit & alterius iam partis robur & aſtus,
    Nec præter uatem, quem ueneretur, habet.

Hic etiam humanis retineri uiribus urbem
   Poſſe, nec ulla uiris tela timenda canit.
Quapropter uerbis animati talibus omnes
   Fortiter hac ſpernunt hoſtis in urbe minas.
Hanc ubi certatim iam muniuêre, peracres
   Eſſe ſua uigiles in ſtatione iubent,
Intereà pergunt ſibi ſumere crimina uires,
   Luxus & inprimis fœda libido uigent.
Regulus ipſe ſalax, omnes exempla ſequuntur,
„   Nam populus ſimilis mox ſolet eſſe Ducis.
„ Lux ſacra Baptiſtæ Natalis feſta reducit,
   Seruari morem, qui fuit antè, iubet.
Coniugibus ſocians alijs hic adijcit unam
   Nymphulam, forma quæ uiret ipſa ſua.
Dum licet his frueris, quia bis ſex menſibus actis
   Finis erit Sceptri rex maleſane tui.
Iuſſa facit populus parens ſine murmure totus,
   Et choreas uulgò lætus in urbe parat.
Compoſitis ſpeculo formis radiante uenuſtis
   Turba leuis feſtas curſitat ante domos.
Floribus è uarijs & in orbem cortice flexo
   Vincta patent filis plurima ſerta ſuis.
Hæc foris extentis agitantur funibus alto
   Aedibus à geminis oppoſitisq; loco.
Altior erigitur cum frondibus arbor opacis,
   Nexa quibus pendens multa corona uiret.

Hanc circùm choreas ducentes carmina dicunt,
Voxq́; regit certos oris acuta modos.
Nemo quietus iter facit hàc impunè uirorum,
Aerea quòd poſcant agmine dona ſuo.
Protinùs accurrunt quibus eſt hoc muneris, atque
Frugiuori laticis pocula plena ferunt.
Nam minor eſt uſus uecti quàm copia Bacchi,
Sed uis factitij multa liquoris adeſt.
His quoque non ſitiens aliquis ſi forte reclamet,
Cogitur, & nullam proluit ille ſitim.
Prodit eques choreas rex inuiſurus amœnas,
Ordine conſequitur quem ſua turba comes.
Splendet equus phaleris fulgentibus ære ſuperbus,
Cui latus & binum pulchra tapeta tegunt.
Calloſis agitur talis radiantibus auro
Puro, quos geminum calcar utrinque premit.
Prominet auratum duplices inſigne per enſes,
Transfixo faciunt qui ſimul orbe crucem.
Vt rutilo nitidum fulget diadema pyropo,
Aurea ſic fuluo Sceptra colore micant.
Pendet & è collo demiſſa cathena metalli
Eiuſdem, quod ad hoc linea ueſtis habet.
Huic etiam fuſo uagina coruſcat ab auro
Ad læuum cincto longior enſe femur.
Denique Sarrano radiat rex totus in Oſtro,
Et digitis auro gemmula clauſa ſuo.

Con-

Conſpicuo pueri præcedunt corpore bini,
Serica quos ueſtis fuluaq; bulla tegit.
Biblia ſacra ſuis manibus tenet alter, apertum
Alter mucronem luce micante gerit.
A læua gladius, ſignum terroris, acutus,
Sed Liber à dextra Relligionis adeſt.
Quattuor illius reginæ terga ſequuntur
Stipatæ Nymphis pluribus arte ſuis.
Maxima cunctarum denis comitata puellis
Ingreditur paſſu tota ſuperba ſuo.
Colla micant auro, & ſpectabile muricis Oſtro
Omnibus oſtentat corpus inepta uiris.
Lentiùs incedit faſtu pompoſa tumenti
Fœmina, nec iam ſe magnificata capit.
Se (miſeri ſexus ut fert natura) potentis
Coniugio iunctam Cæſaris eſſe putat.
Hæc animos uarij capiunt ſpectacula uulgi,
Quod ſtupet his Numen rebus ineſſe ſuum.
Inq; parùm cautos ſpecies incurrit ocellos
Extera, quæ mira faſcinat arte rudes.
Rex choreas luſtrans nunc huc nunc fertur & illuc
Mirans Vueſtphalides, corpora pulchra, nurus.
Nam ſimul hic multæ generoſo ſanguine natæ
Spe Veneris certa liberioris erant.
Vrbes innumeras forma cultuq; decoras
Ciues, non paucas proxima rura dabant.

Innuptæ

Innuptæ, nuptæ pariter teneræq́; puellæ,
Promptaq́; cum nata uirgine mater adeſt.
Nec redeant, licet à miſeris reuocentur amicis,
Ad ſe ſic furiat corda pudendus amor.
Vueſtphalus has regi commendans uoce puellas
Vates ridiculos proiſcit ore iocos.
Ecce, ait, angelicis reſplendent uultibus omnes,
Quas generoſa parit nobilitate domus.
Omnibus hæ poſſunt conferri lumine terris,
Corporis eximij gratia tanta patet.
Vix graciles nodis mediæ cinguntur aduncis,
Demittunt humeros matre colente ſuos.
Inſtita uerſicolor tegit iſtis corpora parte
Latior extrema quam quoq; lymbus obit.
Vt fera uix comptis ſquallent propè rura puellis,
Sic facie nitidas urbs ſibi quæque fouet.
Non ueſtris ſimiles Bathauis ſunt pectore, quarum
Et breuior ſtatus eſt pallidiorq́; cutis.
Subtiles non inficior ſunt corpore toto,
Sed fingit faciem fucus aduſquè ſuam.
Antè patet ueſtis breuior, ſed longa uolanti
Tollit humo nubes puluere cauda nigras.
Natiuus formæ nitor eſt habitusq́; probandus
Noſtris, rex, oculis cernis ut ipſe tuis.
Hæc meliore malis ſine cultibus omnia ſucci
Corpora purpurei plena colore uigent.

Non graciles, tenui nec aluntur fomite, nutrix
  Has neq; deducto fingit acuta cibo.
Nec tamen hæ pugiles craſsi ſunt pectoris, haudq;
  Ardua depreſſo pondere terga gerunt.
Et licet hæc per ſe bona ſit natura, quibuſuis
  Cura tamen Nymphis reddit acuta pares.
Cumq; ſuus ueniat tenero decor ortus ab ungui,
  Omnibus ut numeris forma ſit apta, facit.
Non faciem ceruſſa ſuo tegit improba fuco,
  Sed gena natiuo tincta colore rubet.
Non aliter quàm cùm de ſpinis ſurgit acutis,
  Et roſa purpureo bellula flore uiget.
Lactea commendat ſua crebrò forma puellas,
  Cùm teneram candor pingit ubiquè cutem.
Sed longè pluris reputatur, florida miſtas
  Si roſei maculas illa coloris habet.
Virgineum toto decus eſt in corpore, pulchra
  Occupat adueniens flammeus ora rubor:
Hunc ſtudioſa facit ſexum natura loquacem,
  Hæ ſtreperæ ſtudium garrulitatis amant.
Os aliud loquitur uerbis, mens ſubdola ſentit
  Diuerſum, & ſpeciem decipientis habet.
Sermo ſuas ædit uoces ſubacutus, utrinquè
  Roſcida ſanguineo labra pudore nitent.
Sunt oculi ſtellis ſimiles radiantibus, olim
  Qui color in magno ſemper honore fuit.

Fuſcus

Fuſcus at in paucis, facit ut quibus apta ſupernè
Corniculata nigrum Luna ſupercilium.
Hic, ueluti fertur, caſti manifeſta pudoris
Signa, ſed accenſi pectoris ille gerit.
His quoq; proſpiciunt limis paulumq; retortis,
Blandior ut ueniat uiſus & arte cadat.
Lumina demittunt uultu ſimulante pudorem,
Sed tacita Veneris gaudia mente premunt.
Vertice cincinni nodos ſinuantur in arctos,
Tempora purpureus cingulus alta ligat.
Intorto geminas decoratur crine per aures
Virgo, nec ornatas uelat amanda comas.
Splendet odorato caput uſquè puellula ſerto
Cincta, quod ex uarijs floribus illa facit.
Et ſtola par formæ tenerum ſic corpus adornat,
Vt fluat ad iuuenes gratior aura uagos.
Nam facit ad formam multùm ueſtitus amandam
Aptus, & ex magna lumina parte mouet.
Aſtrictaq; nitent teneri ſub ueſte lacerti,
Nec decor hac teneras deſerit arte manus.
Pectoris ornatus ueſti reſpondet, utrinquè
Eminet è tumido mamma rotunda ſinu.
Vt matura ſolent autumno mala uideri,
Vbera ſic turgent pectore bina ſuo.
Texta tegunt tenui propè filo lina papillas,
Sed ſua perſpicuas rimula crebra facit.

Cautiùs incedunt greſſusq́; libenter honeſtos
Obſeruant geſtu conficiente decus.
Scilicet amentes iuuenes ea reddit amantes
Gratia formarum, quas ſua cura iuuat.
Illecebræ capiunt & fortia corda uirorum,
Exacuunt auidas corpora pulchra faces.
Cuncta domat celeri ſuperatq́; furore Cupido,
Inq́; uiris nil non fœmina pulchra poteſt.
Hoc neque uel David cithara, neq́; robore Sampſon,
Nec Solomon cauta mente cauere ualet.
Omphala Lydorum docet hoc regina, decenti
Herculeum ſolea dum petit ipſa caput.
Nulla rudis rerum uiuit, quaſcumq́; tenere
Vſibus aßiduis fœmina docta ſolet.
Quinetiàm Gentes ſuperant his artibus, atque
Ingenij reliquas dexteritate ſui.
In re uix, inquit rex, hac tibi credo, tapetas
Pictum noſtrates texere conſtat opus.
Imò etiam longè faciunt ſubtiliùs illæ
Omnia, quæ rerum poſtulat uſus edax.
Id mea cùm genitrix puero mihi tradidit, ipſa
Tum loquitur cunctis res manifeſta ſatis.
Proſequitur narrans quod ceperat alter, apertum
Regis & obiectum diluit ille ſui.
Linea Vueſtphalides aut ornamenta per artem
Subtili pingunt cuncta decenter acu.

Aut gracili ducunt hæ candida pollice lina
Turbine cogentes hæc ſua fila ſequi.
Cum globulis calathos confectaq; penſa uideres,
Spondylion fuſo fuſus ineſtq; colo.
Canabe quam tenſam lino tenuiq; grauatam
Fœmineæ exonerant uoce ſequente manus.
Aut opus exercent quod calluit uxor Vlyſsis
Penelope multis exagitata procis.
Texta perarguto percurrunt pectine fila,
Docta quibus Pallas talia ſcire dedit.
Organa perſtrepitant totas agitata per ædes,
Nectitur arcta ſuo tela regenda iugo.
Hanc priùs ipſa ſuis digitis diſcriminat omnem
Nympha,malus cœptum ne trahat error opus.
Compoſitum motus moderatur ſtamen agenti
Turbine ſecretis uirgula crebra locis.
Inductum radio medium ſubtegmen acuto
Denſa manu pulſum ſtamina dente facit.
Alternisq; ſonans huc illuc ictibus ille.
Curſibus & crebris garrulus uſquè redit.
Fabula ſub ſera recitari nocte per iſtas
Inter opus grata pro nouitate ſolet.
Grata ferè Veneris ſit amatæ mentio, Nymphis
Mollia quòd flagrans corcula tangit amor.
Anxia conantur iuuenilis tempora uitæ
Ducere iucundis luſibus apta ſuis.

Quo magis inuitent dulcedine uocis amantes,
Cantillant uarijs carmina facta modis.
Hisq́; graues fallunt curas & tædia dari
Temporis, & magno corda dolore leuant.
Rarò ſacra ſonant has intèr uoce, furenti
Qualia Ieſsiades lapſus amore canit.
Sic labor hic partim fallacem pellit amorem,
Sit licet his curis ſæpe ſoluta manus.
In primis facit hoc ſolers cuſtodia matrum,
Quæ caſti curam ſemper honoris agunt.
Etſi uix ullis ſtudijs ſeruatur in orbe,
Quod ſpecie multis lucidiore placet.
» *Nempe pudicitia & facies formoſa ſubindè*
» *Duriter aduerſis belligerantur equis.*
» *Et citiùs facili ſemper certamine uincit*
» *Excellens teneram forma pudicitiam.*
» *Præcipuè ſi blanditijs bene doctus amator*
» *Aurea coniungat munera grata ſuis.*
» *Hæc hominum uitiant oculos & pectora uincunt,*
» *Inq́; ſuos nutus cuncta repentè trahunt.*
Nam pariter matrona ſuis exercita curis
Nens ſedet & iuſsis uoceq́; cuncta regit.
Illa domus totius opus natasq́; gubernat
Omnia præſcribens quæ facienda uelit.
Penſa dat ancillis famulantibus apta, rebelles
Caſtigans pueros educat illa ſuos.

Cernas huc ueniens hybernis noctibus ignes
Splendenteſq; ſua luce patere faces.
Altius ad laquear lychnus quoque penſilis extat
In totam ſpargens lumina clara domum.
Ignis ut ipſe nequit cælari clauſus, amore
Saucia Nympharum ſic tibi corda patent.
Quid uerò mirum ſi caſta Minerua feratur?
Nónne Iouis cerebro prodijt orta patris?
Vincat & has Ithacæ forſan regina puellas
Arte, ſed ingenuo prorſus amore nequit.
Fœmina Græca ſuo longè caſtiſſima damno
Non uiolat caſti lubrica iura tori.
Bellaq; per terras & per mare dura ferenti
Coniuge, deſertam luget honeſta domum.
Quattuor huic (niſi ſi Graio non credis Homero)
Luſtra datam ſeruat Penelopeia fidem.
Atq; ſuos miris deludit callida technis
Propoſita molles conditione procos.
Et uana iuuenum ſpe lactat pectora, quando
Luce quod eſt factum, nocte retexit opus.
Non procul illa ſuis diſcedit ab ædibus, omne
Quod ſibi turpe putat fœmina caſta cauet.
Ancillis comitata ſuis incluſaq; cellis
Officium magna ſedulitate facit.
Non alacres cœtus iuuenum laſciua frequentat,
Non in uicinis garrit inepta focis

Plurima ſed teneræ celebrãt ſpectacula Nymphæ,
Vbere quas nutrit Vueſtphalis ora graui.
Lux me deficiet ſi pergam dicere cuncta,
Quæ faciunt anni tempore quæq; ſuo.
Tot peragunt gratos ſuadente Cupidine luſus,
Quando polit feſtus corpora pulchra dies.
Si fortaßè gradum confers ad limina ciuis,
Surgit in aduentum bellula uirgo tuum.
Quod ueniens optas magno reprecatur honore,
Et ſibi te gratum lætior eſſe monet.
Atq; manum poſcens dextram dat & illa uicißim,
Oſcula datq; labris Nympha uenuſta tuis.
His dictis auidas hilari Rex pectore flammas
Concipit, & uati talia lætus ait.
Heus, agè, quandoquidem cœpiſti dicere, ritus
Coniugij quales dic mihi nuper erant?
Iuſſa facis myſtes hæc non inuitus, aperto
Talibus exiliens orſus es ore loqui.
His tria cum faciunt annos quinquennia Nymphis,
Hoc miſeris mirus tempore feruet amor.
Tum quoq; cura ferè uenit his, ut nubere poſcant,
Ne probra depoſito dura pudore ferant.
Hîc quoties iuueni uirgo datur aurea nuptum
Eximio, nitidus conuenit ille chorus.
Compoſita ſpeculo facie ſplendente, decorum
Eximiæ Veneris Numen ineſſe putes.

Quale decus fuluo capit hæc quæ cluditur auro
Gemmula, quale ſciens quod manus aptat ebur.
Tecta petunt ſponſæ uario molimine, quando
Iam ſonus ad Templum notus in urbe uocat.
Egreditur binos per amicos ducta capillis
Paßis ritè foràs ædibus illa patris.
Præcedunt aliquot Nymphæ, pars magna ſequũtur
Cominùs auratis corpora compta notis.
Huc ubi peruenit greſſu reuerentiùs apto,
Ante ſacras reſonat ſub Ioue turba fores.
Rauca ſuos ædunt ſonitus quoq; Tympana, quorum
Exciplens numeros fiſtula clara iuuat.
Hæc ſubitò populus ruit ad ſpectacula totus,
Ducitur ad ſponſum pulchra puella ſuum.
Veſte micant nitida iuuenes & ſerta marino
Rore uirent capitis tegmine fixa nouo.
Certa ne ſit Myſtes ibi quærit utrinquè uoluntas,
Firmaq; conſenſu ſint ea uota bono.
Ambo uerecundis reſpondent uocibus, atque
Omnia prudenter trans, priùs, acta ferunt.
Annulus hinc dextræ pergit coniungere dextram
Aureus, hosq; duos ſub iuga ritè trahit.
Factaq; ter plebi ſponſalia nota ſacerdos
Cœptaq; diuino nunc rata iure facit.
Hinc adeunt Phanũ, magno quod honore paratũ eſt,
Excipit hos, pulchro cuncta colore nitent

Vrceolis uerno Lympharum tempore plenis
　Feſta ſuppoſitis omnia fronde uirent.
Candida ceriuoris radiant altaria flammis,
　Quæ decorant poſito uerba ſacrata libro.
Inflexis pariter genibus procumbit uterq;
　Sollicitans precibus corde patente Deum.
Verbaq́; perſpicuo pia tunc ſermone leguntur,
　Cùm caput ambobus pagina ſacra tegit.
His ita coniunctis tradens mandata miniſter
　Cœleſti ſemper iure tenenda canit.
Fœdere diuino cum pacta iugalia fiant,
　Ne temerè hæc quiſquam ſoluere pergat homo.
Namq; Deus ſexum ſapienter utrumq; creauit,
　Hic mas, illa ſuum fœmina nomen habet.
Propterea ſanctos homo deſeret ipſe parentes,
　Hæreat uxori ſemper ut inde ſuæ.
Iam duo ſic pariter diuino munere iuncti
　Vna Deo planè ſunt operante caro.
Quos iubet ut generent fœcundi ſemine natos,
　Et repleant terram prolibus uſquè ſuis.
Quò generis noſtri ſeruetur in orbe propago,
　Quæ colat ardenti ſemper amore Deum.
Quare ſic monitos reſonanti presbyter ore
　Vnius affirmat corporis eſſe duos.
His ſit coniugium fœlix fauſtumq́; precatur,
　Pignora quò fœti gignere chara queant.

Ne uel

Ne uel adulterio thalamos uiolare pudicos
  Audeat alteruter, blandiùs ille monet.
Hinc citò per ſacram modulis reſonantibus ædem
  Attollit uarios Muſica grata ſonos.
Organa pulſa manu doctá digitiſq; peritis
  Acribus hac animis gaudia uoce ferunt.
Inde domum pompa redeunt, totuſq; perinde
  Extrahitur magno feſtus honore dies.
Splendida namq; animis agitant conuiuia lætis
  Reddentes lepidis omnia grata iocis.
Quo magis exhilarent hymenea negocia, noctu
  Ducitur ad certos ſurda chorea modos.
Iſta mouent oculos irritamenta uirorum,
  Et natiua ſuo flamma furore uiget.
Si quis amans ignes adoleſcens hauſerit, omnis
  Obſtupet, & mentis non habet ille ſatis.
Haud ſecùs ac ſæuæ ſpectantibus ora Meduſæ
  In lapidem rigidum corpus abire ſolet.
Adueniunt quicunq; ſuis à finibus, alti
  Quò capiant cultus pectoris arte bonos,
Has magis accenſo per amorem corde puellas,
  Quàm uaga magnifici Scripta Platonis amant.
Sordet Ariſtotelis rerum doctrina periti
  Naturæ, Ratio quatenùs ipſa capit.
Nec placet inſignis lepor & bona forma ſororum
  Pulchrarum multa dexteritate nouem.

Omnia tam nitidis conſtant ſibi membra figuris,
Apta ſuo tantum lumine forma mouet.
Afficit iſtorum teneros ea gratia ſenſus,
Et rapit incautos in ſua uincla pedes.
Interdum nitidæ uirgo ſibi conſcia frontis,
Præ ſe magnates deſpicit illa procos.
Et licet ardentes conflagret amore per artus,
Illa tamen gaudens pectus amantis agit.
Lumina ſic miſeri grauat ipſa procantis apertus
Iſte nitor, uexat quem ſua cura Venus.
Eſt etenim morbi ſpecies, quo ſi quis abundat
Noctes atque dies irrequietus erit.
„ O miſeros quorum laqueis præcordia ſæuis
„ Irretita tenet ſaucia turpis amor.
Sed iuuenes ſemper iuuat has uidiſſe puellas,
His quoq; prælarga dona dediſſe manu.
Abijcit hic ſtudium grauioribus utile rebus
Cœptum uæ ſano captus amore ſuum.
Iſte per auriuoras & curſat & obruit ædes,
Nec data riualis munera ferre poteſt.
Pugnat, & huic rigido facit hoſti uulnera ferro
Sæua, malus cogit quem referire pudor.
Horrida nonnunquàm cædes contingit, ut ipſa
Corda graui impellens ira furore trahit.
„ Nam plærumque furens ſtimulis impenſius æquo
„ Triſtia deſignat crimina ſæuus amor.

Prodigus ingentes minuens patrimonia ſumptus
Hic ſua potando tempus in omne facit.
Curat & ut ueſtis ſit amanda coloribus aptis,
Formaq́; ſit numeris corpore digna ſuis.
At properè ſtudet ille ſuos diſperdere nummos,
Alea luſori cùm malè iacta cadit.
Iſte quidem cithara ſub nocte uagatus amatæ
Virginis occluſas perſonat ante fores.
Quem neq; tempeſtas moueat, neq; turbidus Imber,
Nec quas huc mittunt frigora ſæua niues.
Quin data ſæpe fides fallit præſentia rebus
Fœdera coniunctis, teſtis habendus amor.
Hæc ait, at regi iamdudum flagrat amore
Pectus, habent flammas lumina clara ſuas.
Viſus, ſermo, ioci, riſus & ſuauia, feruent
Igne faces triplici lux, color, acris amor.
Nec tam belligero placuit Venus aurea Marti,
Quando ſua miſtos Mulciber arte capit,
Nec tam Tyndaridos facies formoſa Lacenæ
Paſtoris potuit corda mouere Phrygis,
Non ſic Tarquinium rapuit Lucretia regem
Corpore cum uerbis tota uenuſta ſuis,
Nec puer Aſcanij pueri ſub imagine maius
Inflixit cordi uulnus Eliſſa tuo,
Quàm regem furor inuaſit uiolentior, indit
Quem ſubigens telis oſſa Cupido ſuis.

Hic animaduertit præſigni fronte puellas,
Qua quibus ipſe queat cogitat arte frui.
En, ait, ô noſter ſemper uenerande Propheta
Hoc mea mens intùs teſtificatur opus.
Hactenùs à CHRISTI *diſceſſu ſanctus auitis*
Haud in coniugijs ſpiritus ille fuit.
Namq; alius forma ſit coniunx motus amanda,
Pars & amicitias, pars quoq; quærit opes.
Quare coniugium fœlix ſibi quiſq; ſecundò
Contrahat, & recta degat in urbe uia.
Annuit hîc regi Vates laudanſq; frequenti
Conſilium & plaudens uoce patente probat.
Protinùs edicto laſciuis mandat aperto
Omnibus, ut ductas quot libuiſſet, ament.
Eligit & bis ſex forma florente puellas,
Quas ſibi conſortes præcipit eſſe tori.
Depictis ridet thalamus de more tapetis
Regifico, totum uela cubile tegunt.
Charta tenet ualuis Aulæ ſuffixa proteruæ
Iſtarum ſignis nomina grata ſuis.
Indicat hæc quænam poſcatur qualibet ex his
Nocte, ſed appoſitis conditione notis.
Si negat hæc, aut illa graui ratione, relinquit
Concubitum regis cui magis ipſa fauet.
Dum licet, oblectans animum ſecurus inerti
Luxu cum Nymphis tempora longa fouet.

Nec ta-

Nec tamen hæc illi ſatis eſt quoq; copia ſexus
  Fœminei, tantus feruet in urbe furor.
Nam rapitur quæcunq; placet uirguncula regi,
  Quæ rudis inſani prorſùs amoris erat.
Nec matura uiro, nucibus ſed ludere multo
  Aptior, & cordi cui data puppa fuit.
Armis munitus truculenta fronte Satelles
  Vadit, ut hæc matri triſtia iuſſa ferat.
Non ſupereſt regi quæ non conceperit ulla,
  Relligio grauidas tangere noſtra uetat.
Hinc iubet, ut paruam non mœſto pectore natam
  Ad ſeſe mittas protinùs ille tuam.
Nam pater omnipotens in ſomnis uiſus apertis
  Hunc cogens teneros mandat inire toros.
Heì, nimium faciles mittunt ſine mente futuram
  Filiolam plures dedecus uſquè ſuam.
Si quam mens ſua recta uetet, uerbisq; repugnet,
  Inſtat, & atroces detonat ille minas.
Cumq; domo quædam dixiſſet abeſſe maritum,
  Cuius in arbitrio ſolius iſta forent,
Vin' tibi diminui caput, inquit, protinùs illam
  Hoc dicto inuitam matre dolente rapit.
Vt lupus ipſe rapax teneras à matribus agnas,
  Quem ſtimulat rabido longior ore fames.
Fœmina quid faciat? timor ut neget obſtat, & illic
  Quo minus id faciat cum ratione pudor.

Ille

Ille ſed hunc facili ſuperat certamine, corda
  Prorſus in anguſto pectore uicta iacent.
Innumeræ furijs tales uitiantur, & harum
  Interitu multæ ſic periêre graui.
Et longè plures ruerant, niſi fortè perita
  Mox anus his medicam cana tuliſſet opem.
Tantùm erat obſeſſa rabientis in urbe furoris,
  Quem malus aſtuta Spiritus arte facit.
Si quibus uxor erat ſterilis'ue moleſta'ue paulùm,
  Vt quæ ſæua libens iurgia lite ferat,
Aut mulier moroſa ſuis obnoxia morbis,
  Aut ſi quid uitij eſt, quod malè fortè ferant,
Huic uetitum à CHRISTO ueteri de more libellũ
  Dant, nec obeſt facto filius inde ſatus.
Quod neq; diuini, neq; noſtri iuris habetur,
  Hoc quod adulterio ſoluitur omne modo.
Si neq; perſonæ uitium diuortia, nec res
  Intoleranda, malus nec dolus arte ferant.
Quæritur inde Venus facie pulcherima, ſed cui
  Altera ſuccedat ſæpius uſquè noua.
Omnis turba, ſuis quæ factis antè uirebat
  Votis, militibus nubit in urbe uagis.
Nulla ſed ad Phanum paßis it ſponſa capillis,
  Nec ſolito ritu ducitur illa domum.
Turbida duntaxàt agitant conuiuia læti,
  Hinc accenſa leuis corda Cupido fouet.

Stupra

Stupra flagrant, raptus, ſcortator, adulter ubiq; eſt.
Eſt inceſta graui caſſa pudore Venus.
In ſumma, ut taceam quæ dictu turpia, iamnunc
Omnia ſunt fœdis plena libidinibus.
Hoc decus, hæc uirtus, hoc fas, manifeſta refulgent
Tota ſuo regni iura colore noui.
Secta futurorum facit hoc ſecura malorum,
Nec dubitans hoſtes exagitare ſuos.
Artibus audaces ludunt inimica ſuperbis
Caſtra, minùs mentes proſpera ferre queunt.
Namq; rudes animos leuis inflat habentia, nullum ,,
Rebus in humanis ſeruat amata modum. ,,
Ecce forìs hac prodit eques ficulnus ab urbe
Egrediens tardè quà data porta fuit.
Ridiculum uideas, magis & mirabile monſtrum,
Cuius in ambiguo rumor, ut author erat.
Stipitibus nexis ſtatuunt cum ſtramine formam,
Vera refert magni quæ ſimulachra uiri.
Hanc in equum ponunt horrendo tergore macrum,
Debilis ut qui uix languida membra trahat.
Texta rudi totum tegit hoc ex canabe corpus
Tela, ſinus pandi pandaq; terga rigent.
Huic erecta palàm ſua brachia longa rigeſcunt,
Conſtituunt coxas ligna ſaligna graues.
Larua facit faciem barbatam lumine glauco,
Vimina conſtituunt debile nexa caput.

Prominet excelſo de uertice mitra bicornis,
Quam ſimulans gemmas chartula picta facit.
Multa ſuis pendent diplomata caſſa ſigillis
Ex humeris monſtri tegmine fixa uagi.
Pars tumet anterior uaſto cum pectore, ficta
Officium faciunt cum grauitate manus.
Dextra gerens falſos thecam diſciſſa ſmaragdos
In cœlum digitos exerit uſq; duos.
Læua tenet baculum ſummo de fine reflexum
In ſe, quem ſolita eſt turba uocare pedum.
Lãguet equus macie, languet magis, horrida, ſeſſor
Nutans, membra nihil quod uegetaret, erat.
Dura leuis tremulo facit aſſer Ephippia tergo,
Suſtentant geminos uincula ducta pedes.
Informes ſtringens talos ferrugine necnon
Plantas obductum calcar utrinquè premit.
Oblongis lateri laqueis inſerta ſiniſtro
Horrida demiſſo frena ſub ore iacent.
Lentior in medio ſpacio, quæ fortè reperta
Eſuriens auidè gramina carpit equus.
Seq; diu per iter paſcens huc errat & illuc,
Cùm lapidem dorſo ſentiat eſſe uirum.
Qui nec ſe moueat, nec uoce minetur aperta,
Nec pede cum rigida proterat oſſa cute.
Cumq; ferens equitem propè tandem caſtra ſubiret,
Hunc animaduertit magna repentè cohors.

Talia

Talia quamprimùm uidet hos portenta per agros,
Suſpectum cauto pectore munus habet.
Conſpicit inſidias rapidis & miſſa proterui
Dona fremens animis hoſtis acerba ſui.
Circuitus partem delatus oberrat in omnem
Vrbis equus, tendunt quo ſibi caſtra loco.
Delitiæ, iocus & ludus fit bellua cunctis
Militibus, propiùs res ubi nota fuit.
Cum lixis iuuenes, muliebris turba ſequentes
Hunc miſerum longè progrediatur, agunt.
Grata uiris paßim præbet ſpectacula, quando
Diſtrahitur uento charta repulſa leui.
Aſpiciunt molem malè pacti corporis, atque
Turpia dißimili membra coacta ſitu.
Et maciem mirantur equi, mirantur & hoſtis
Os malè confidens qui facit iſta ſui.
Turribus intereà ridens ea gaudet in ipſis,
Et ſibi de facto regia Secta placet.
Magnaq; contendunt pars ſcandere mœnia, poſtquã
It quadrupes portis miſſus in arua macer.
Hæc hilaris longos cunctans proſpectat in agros,
Dum referant aliquid talia monſtra noui.
Iamq; ubi facta ſuis oculis optata uideret,
Emoritur riſu læta caterua ſuo.
Exiliens geſtit, furibundos ridet & hoſtes,
Garrula præcipuè fœmina mira facit.

Nec ſua prudenter meditantur fata, repentè
Omnia ſupplicijs ſubruitura ſuis.
Intereà quaſi re bene geſta Martis, apertè
Plus ſatis exultans urbs ſibi tota furit.
„ Proſpera mortales quoniam fortuna fatigat,
„ Et capit aſpectu nos ſpecioſa ſuo.
„ Sed citò cùm manibus, modico tractatur & uſu,
„ Futilis ut clarum frangitur illa uitrum.
Falſa facit cunctis animos doctrina ſuperbos,
Qua dementati ſomnia mira canunt.
Reddit & audaces ſubitò ſucceſſus & effert
Prima uæſanos Fors bona fronte Duces.
„ Rebus in aduerſis franguntur corda, ſecundis
„ Luxuriant, medium rara tenere ſolent.
Enſifer exultans celſo de culmine muri,
Viribus & fidens uerba ſuperba iacit.
Tanta quid inceptas imbellis Epiſcope bella?
Quo'ue furore pijs percitus arma moues?
Tu'ne fero miles meretricis turbine tecta
Oppugnaturus Thaidos, oro, uenis?
Cuncta priùs tentare uiri ſapientis habetur,
Quàm fera corripiat protinùs arma manu.
Omnibus inſtructis, agè, dura pericula uites,
Claraq; des tuto murmure ſigna loco.
Quin potiùs magno repleas delubra boatu,
Quo pariat magnas mitra bicornis opes.

Hicq́; geras ueſtes molli de murice factas,
Et ſolito Diuos totus honore colas.
Organa continuo reſonent tibi Muſica cantu,
Vt recreent grato pectora mœſta ſono.
Hîc tua placabit longa tibi ueſte ſacerdos
Numina, ſi raſus uertice crinis erit.
Si manus uncta ſit, & præſcriptas legerit Horas,
Et ſi cum Nymphis luſerit antè ſuis.
Grataq́; magnifico celebres conuiuia luxu,
Sint bene Rhenani pocula plena meri.
Illic ſis uiridi redimitus tempora fronde,
Exornetq́; caput pulchra corona tuum.
Hinc Venus & cantus reſonent citharæq́; lyræq́;
Ducatur docto læta chorea pede.
Oſtris ornatum pictisq́; cubile tapetis,
Ac ſplendore micent mollia ſtrata ſuo.
Talia ſint curæ potiùs tibi munia, dulce
Mollia tu facias prælia noctis opus.
Sed fera militibus certamina Martis, & iſta
Sæua relinque magis fortibus arma uiris.
Sic ait, & palmas proclamans tollit in altum,
Nec metuit tanto tutus ab hoſte necem.
Huic ita reſponſum Franciſcus reddere Princeps
Submiſſo uoluit mitia uerba ſono.
Nôn libet iſta meis, quia uana, refellere dictis,
Quæ tumido mendax obijcis ore mihi.

Sed magis admiror te mentis lumine captum,
 Et tua tam ſæuo corda furore rapi.
Meq; tui miſeret potiùs, qui dira proteruus
 Hæc tibi pro tanto crimine fata pares.
Niteris infœlix cur uano robore tantum?
 Curnam ſic tutum te miſer eſſe putas?
Mœnia quid proſunt tibi uel munita? quid ad rem
 Vrbs licet hæc fortis ſit locupleſq;, facit?
Quid frumēta, quid hæc nuruū tibi copia, quorſum
 Foſſæ cum uallis, machina, murus, aquæ?
Nunquid enim poterunt diuinam uincere mentem
 Humanæ uires? falleris ipſe miſer.
Falleris ipſe miſer, ſcio, longè falleris, iſta
 Sunt ueluti fragilis robore canna ſuo.
Cur priùs hūc quàm ſit uictoria parta triumphum
 Ducis, & ex uoto cuncta futura putas?
Sed ſi curabunt Superi ſua, Numine fauſto
 Quod certè facient, mens neq; læua mihi eſt,
Faxo per hoſce uiros, faxo, mihi crede, per arma
 Haud ita poſt paulùm temporis iſta canas.
Quid tandem ſperas? quam rem moliris? adeſſe
 Ignoras mortis triſtia fata tuæ?
Sic ait, & preſſo Franciſcus ſubticet ore,
 Maxima ſed mœſto uulnera corde premit.
Veſper erat, denſis lux effugiebat ab umbris,
 Quæ rapiunt clarum Sole cadente iubar,

Vuolbecam petit ille ſuam, mœſtumq́ cubile
Incœnis Numen multa precatus adit.
Peruigil hic inſtat precibus ſine fine fideli
Per ſua ſollicitans pectore uota Deum.
Fluctuat ingenti curarum mole ruentum,
Dum miſeros ciues hoſte leuare cupit.
Iamq́ dies ſtellis remeabat clara fugatis,
Militiæ ueniunt huc duo tres'ue Duces.
Hic graue cum reliquis tantis de rebus agendis
Conſilium Princeps pectore cautus habet.
Vertitur huc illuc uario ſententia captu,
Quæ putat ex uſu dum ſua quiſque refert.
Maxima pars perijt collecti militis, atque
Nonnihil attritæ ſunt Ditionis opes.
Pœnitet incaßùm tantos fudiſſe labores,
Et ſumptus, & tot iam cecidiſſe Duces.
Porrò quid hîc faciat? tanto deſiſtere cœpto
Exitiale ſuis & ſibi turpe uidet.
Imploraret opem Sceptri grauioris apertam,
Hoc niſi certa nimis cauſa uetaret agi.
Non ſemper magnas ſemel accerſitus in ædes, "
Sponte ſua rurſùm quilibet hoſpes abit, "
Incutiuntq́ metus ſpectantia nulla retrorſùm
Introgreſſorum ſigna priora pedum.
Impetrat æs iterùm ſimul auri pondus ab iſtis,
Qui ſibi uicinum contremuere malum.

En eques adueniens ruit huc Ofrecampius ille
  Conſilium credens ſe reperiſſe uaſrum.
Optime Præſul, ait, mihi credito, uera docebo,
  Quæ priùs his oculis ſunt mihi uiſa meis.
Sic ego cenſeo rem dubiæ tibi Sortis agendam,
  Quæ bene proceſsit pluribus antè uiris.
Attollas uallum ſubitò ſublime cauatis
  Quà minùs eſt, foſsis, parte duabus aquæ.
Impleat has agger celeri cum turbine pulſus,
  Miles ut inuadens mœnia fortis agat.
Credita res, toto uenientes rure cateruis
  Agricolæ iuſsi pluribus arma ferunt.
Pars humeris palas geſtat, pars magna tridentes
  Furcas, nonnullos & ligo longa grauat.
Nocte uiri magnam proſtantibus aggere molem
  Ceſpitibus facto gnauiter accumulant.
In montis formam glomerando creſcit arena
  Flaua, propinquat & hæc mœnibus uſq; magis.
Eminet inſpiciens urbem, finemq; putatur
  Extremum tantis impoſitura malis.
Vincendi Sectam titillat gloria ſæuam
  Ruricolas, operis qui ſibi mole placent.
Et iam contendunt foſſarum ſtagna profundis
  Hi lacubus terra bina replere ſua,
Cùm fera Secta ſuam contrà collegerat altam
  Congeriem ſpernens hoſtis in urbe minas.

Fraus

Fraus quoque fraude ſua, uis uiq; repellitur, iſthac
Par cuneus nodo quæritur arte malo.
Quin iacit in miſeros flammantia tela colonos,
Multaq; in aggeſta corpora ſternit humo.
Omne rubet ſemper conſperſo ſanguine uallum
Sæpius emiſſis fulminis igne globis.
Emittit crebras neruo crepitante ſagittas,
Motaq; telorum uiribus aura ſonat.
Saxa uolant agitata ſuo fera turbine, nullum
Ceſſat iam iaculi Marte furente genus.
Caſſus & hic ſudor tantus, fruſtranea cædes
Agreſtum, Vrbs uinci ui neque fraude poteſt.
Mœnia uim per ſe ſeruant, gens ſubdola totis
Omnes uerſat enim uiribus uſquè dolos.
Mœret ob euentum Princeps & caſtra laboris
Author & in primis, Secta ſed omnis ouat.
Contigit intereà quiddam memorabile circa
Syluam, quæ cincta diſtat ab urbe parùm.
Namq; fit hîc cædes ita Marte uolente cruenta,
Cum tria ſuccumbunt corpora uicta neci.
Pulcher erat iuuenis præſtanti corpore, Marti
Aptus, & hunc uires ad fera bella trahunt.
Ardua magnificum facies decus arguit, albam
Prima tegit menti barba ſuborta cutem,
Belga, ſatus genitore uiro prudente grauiq;,
Terrea cognomen cui malè teſta dedit.

Huic domus in paruo fuit & ſua prædia uico,
Nomina qui tenet à diuite grata ſolo.
Hic annos florens caſta cum coniuge multos
Plurima progenuit pignora clara pater.
Inter quæ Paulus (nam ſic eſt nomine dictus
Iſte) uel in primis Martia caſtra colit.
Hic ubi per terras agitati fama tumultus
Vera refert omnes, protinùs arma capit.
Auxilioq; uenit Franciſco promptus ad arces
Vueſtphalicas, multis qui comitatus erat.
Sed nequit hoſce diu Martis tolerare labores,
Cùm grauis exugens uiſcera morbus agat.
Vrit enim febris uehementi membra calore,
Quam putris accenſo corpore maſſa parit.
Ebullit trepidos & ſe mouet unda per artus
Horrida, cum certi temporis hora redit.
Motibus hinc crebris agitatur corpus, & omne
Debile fit ſtomacho cruda tenente caput.
Horret, agunt dentes claro ſtridore ſuſurros,
Pectora ſub magno tota tremore calent.
Hinc ſalſus prodit ſudor, ſitis oris & ingens,
Quæ minùs extingui dira liquore poteſt.
Lingua calens fumo, & uiſco maculata tenaci
Albet, & immundo dura per ora riget.
Flexibus hinc guſtus miſerè uiciatus amaris
Totus ſaliua uix ſapiente perit.

Pallida fit facies, macie minuuntur & artus,
Oſſaq; iam tenui ſub cute dura patent.
Quàm fuit antè, magis uox eſt infirma, cauatis
Stantq; ſuper geminus lumina mœſta genis.
Hic morbum cauſans petit his excedere caſtris,
Fiat ut à ſummo copia grata Duce.
Impetrat id breuibus quod poſtulat ille querelis,
Fama quòd illuſtri nomine nota foret.
Namq; fauent homines generoſis mentibus, ad ſe „
Cùm proprio uirtus lumine corda trahat. „
Certaq; cum ſibi res hæc omnis ſigna requirat,
Scripta Ducis cauſam litera parua notat.
Hæc capit & famulo tantùm comitatus ab urbe
Apparat ad patrios languidus ire Lares.
Hoc tamen ille priùs ſocijs communicat, & ſe
Purgat, & hinc cunctis talia uerba facit.
Quos Fortuna potens paribus coniunxerat armis,
Hos eadem nutu diſgregat illa ſuo.
Ipſa uices faciens rebus rapit omnia ſecum,
Noſtraq; ſubuertit turbine cuncta leui.
Iamdudum ſolidæ ceſſerunt corpore uires,
Affligit morbo me grauiore dolor.
Membra reformidant cœptum certamen inire,
Nam coquit aßiduè feruidus oſſa calor.
O utinam poſſem ualidus pugnare, nec omnis
Qui fuit antè mihi, deperijſſet honos.

Mune-

Munere, quod petij, manſiſſem miles in iſto
Ingenuus, fugio nec graue Martis opus.
Nec me continuis timidus ſubduco periclis,
Quæ dubiæ rebus Sortis ineſſe ſolent.
Non ita me docuit nitidis pater inclytus armis,
Qui iuuenis belli fortis honore fuit.
Si me magna manet generoſæ gloria pugnæ,
Prælia multa quidem ſunt facienda mihi.
Si modò uirtutes non degener ipſe paternas
Filius, & meditor ſplendida facta ſequi.
Aſpera perforti tractabo pectore bella,
In me dum calidi gutta cruoris erit.
Per charum uobis iuro caput Herclè ſodales,
Quod facere inuitus non breue cogor iter.
Magnanimes pariter, precor, hic eſtote, nec ulla
Abſtrahat à pugnis conditione timor.
Atq; meo capiti niſi iam mors imminet atra
Immerſura nigra me Phlegethontis aqua,
Quāprimùm dolor iſte grauis mea mēbra remittet,
Ac ſolito firmum robore corpus erit,
A patria lætus mox ſum rediturus ad arces
Vueſtphalicas. Tantus me tenet artis amor.
Intereà iuuenes ſimul arma geratis, amandi
Omnibus & placeant fortia caſtra Ducis.
Viribus iſta noui ſubuertite mœnia regis,
Et rigido ciues enſe leuate bonos.

Sic ait,

Sic ait,& tardis diſcedit paßibus illinc,
Cùm breue dixiſſet pluribus iſte Vale.
Egreſſus ſuperat fera tandem caſtra, per illum
Qui cingit muros urbis ab amne, locum.
Hic iter inceptat graue membris febre coactis,
Quod totum ſcrupis implet arena ſuis.
Vix aliquot paſſus lentè confecerat, atq;
Debile corpus agens mouerat inde parùm,
Cùm uacuas ingens ſubitò uox fertur ad aures,
Quæ non terrentis, ſed reuocantis erat.
Reſtitit, & partes oculos detorquet in omnes,
Cùm nihil expectans ille uideret, abit.
Iamq; loco uicinus erat, qui ſontibus æquo
Iure datur iuſti iußa per alma Dei.
Hic ſitus eſt inter ſalices horrendus amaras,
Fertile quà nutrit gramina multa ſolum.
Commiſſo meritas paſci pro crimine pœnas
Supremo miſeræ mortis honore carent.
Omnibus apparent Exempla patentia, ne quis
Deſignet ſimili tale furore ſcelus.
Candida prædonum ſub Sole cadauera ſicco
Horrida perpetuo & lumine toſta rigent.
Per ſua dependent fixis quoque ligna cathenis
Corpora, quæ rectas non habuere manus.
Eripitur laqueis animæ uia gutture preſſo,
Quæ dat aperta homini uiuere, clauſa negat.

Sparſa

Sparſa iacent paßim ſine carnibus oßa, quibuſdam
Sublatæ retinent marcida membra rotæ.
Cruraq́; conſpicias rigidis candentia ſuris,
Albicat imbre cutem diripiente caput.
Tergi ſpina iacet crebris aſperrima nodis,
Carnibus albeſcunt brachia nuda ſuis.
Hic ſua cùm poſt ſe flexiſſet lumina, cernit
Egregios iuuenes ipſe uenire duos.
Agnoſcitq́; ſuum, qui militis æra merebat,
Mox ſocium, iunctus cui comes alter erat.
Omine mens tacito ſentit præſaga futuri,
Et timet hæc tanti fata dolenda mali.
Cunctatur faciensq́; ſuo uaga uerba miniſtro
Mittit is in gelidam debile corpus humum.
At ſimùl ut ſpacij confecto calle propinquant,
Surgit, & hos auida non ſine uoce petit.
Mutuò ſe facili qui conſtat honore ſalutant,
More ſuo, dextræ dextera iuncta fuit.
Quærit ſalua'ne ſint his omnia, caſtra quòd ipſi
Deſererent, & cur hoc ſequerentur iter.
Diſſona reſpondent ambagibus, utpotè qui non
Signa ſuæ poßint reddere certa fugæ.
In ſpeciem fingunt iuſtam ſine nomine cauſam,
Mollibus & uerbis crimina facta tegunt.
Perplexum per iter comitatu gaudet amœno,
Omine ſed trepido motus utrique timet.

Huic

Huic addunt ſeſe comites in utramque parati
Partem, ſeu Dominos fallere, ſiue mori.
Hoc iter inter ſe uario ſermone leuabant
Omne, nec iſtius iam grauat oſſa dolor.
Ille docet tanti memorans certamina motus,
Et quo rem pacto geſſerit ipſe refert.
Lætus hic eſt autem quòd tanta pericula cautus
Fugerit, & caſus narrat ab arte ſuos.
Quiſque ſuæ laudat ſtudiumq́; grauesq́; labores
Militiæ, & multis prædicat iſta modis.
Hei mihi (Paulus ait) ſolitis quòd uiribus uti
Non licet, & porrò hoc munus obire meum.
Quàm uellem reliquis ſupereſſe tumultibus, utq́
Maxima pars horum fortiter eſſe queam.
Quò ſi fata uelint ita forſan morte peremptum
Ingenua noſtri uiuida fama canat.
Aut quod ego optarim, parto uirtute triumpho
Me uiuum referat gloria magna domum.
Sic ego tum poſſem patrias gratiſſimus aures
Et pariter fratres exhilarare meos.
Quid loquar affines, q͞d amicos, q͞d'ue propinquos?
Hunc quid &, in noſtra qui uiget arte, chorū?
Nunc feror huc planè rediens inglorius, omne
Nil iter hoc ſolidæ laudis habere poteſt.
Omnibus inuiſus ueniam & ridendus, honore
Vita caret, matres limina clauſa prement.

Irrita iam pulchræ ridebunt arma puellæ,
Nec facilis gratas pandet amica fores.
Plurima ſic ſolito memorant ſermone uiciſſim,
Quò fallant longæ tædia mœſta uiæ.
At non tam reliquis oratio certa duobus,
In tanto cùm ſint crimine dicta fuit.
Ventum erat ad fauces Syluæ iacientis opacam
Vmbram, dum folijs gaudet amœna ſuis.
Calcboū. *Vicini ueniunt pago, cui frondibus arbor,*
Orba ſuis nomen forte propinqua dedit.
Hos ubi fuſa locis tacitis cuſtodia uidit,
Protinùs ex latebris exiluere ſuis.
Intrepidos magna iuuenes cingente corona
Stipant, huc ingens undiquè curſus erat.
Aſtantes tumido cum faſtu Martis, & haſtis
In terram fixis ordine cuncta rogant.
Nēpe, quòd aufugiāt quænam ſit cauſa requirūt,
Quo deſertores caſtra colore ſinant.
Seu fuga ſit talis Domino *ignorante parata,*
Siue magis fiant omnia pace Ducis?
Poſcunt ſigna ſibi monſtrari certa, uel ipſis
Nullum, quo poſſent ire, pateret iter.
Talia quærentes longo ſermone morantur
Accinctos ad iter, ſollicitosq́; tenent.
Acrior inde calet tumidis contentio dictis,
Ira grauis miſto bella furore parit.

Hic duo ſe multis purgant rationibus, unus,
Qui bene cùm ſibi ſit conſcius, ora premit.
Syngraphus huic animum ſicut facit, antè duorum
Res ita ſuſpectos nudat aperta dolos.
Flagrantes flammis oculos huc torquet & illuc,
Et dubia quidnam mente reuoluit, agat.
Audacter tandem uerbis aggreſſus acerbis
Excitat ardenti pectora dura ſono.
Admouet & gladio dextram, connixus & haſta
Longa, confidens talia dicta dedit.
Pauca uiri pro re faciam nunc uerba coactus,
Vt ſocios ſoluam ſuſpitione meos.
Nunquam Vueſtphalicas huc ueniſſemus in oras,
Pectora ſi nobis haud generoſa forent.
Et niſi Fortunæ uellemus ſingula ferre
Numina, quæ dubias obtinuere uices.
Quid nos tam pueros, timidos molleſq; putatis,
Atque rudes, lateant nos quaſi iura Ducis?
Nos non inuento dominis imponimus aſtu,
Hiſq; datam minimè fallimus arte fidem.
Ingenuos conſtat iuuenes nos eſſe, per omnes,
Qui ſunt in ſummo ſemper honore, uiros.
Cauſa ſed una grauis miſeros, àh, talia ferre
Cogit, & hæc pugnis deteriora ſequi.
Officij noſtri memores eſſemus in omne
Prompti diſcrimen, ſi bona fata forent.

Nec fugiſſemus Martis certamina, donec
Partibus hærerent corpora noſtra ſuis.
Si mihi tam paruam referenti forſan habetis
Verà fidem, nobis litera teſtis erit.
Et certis quanquam dubitatis credere rebus,
Ne tamen eximij ſpernite ſigna Ducis.
Aut iamiam noſtris ſimul experiemur in armis
Quidnam noſtra queat dextra ferire manus.
Dixit, & in medium proiecit turbine chartas,
Præq́; ſuo nequijt plura furore loqui.
Cumq́; legens iſtas claris percurreret unus
Luminibus, breuiter talia uerba facit.
Tranſitus his tantùm ſcriptis conceditur uni,
Cui licet, ut, quò uult, conferat ille pedes.
Sed nobis reliquos armis retinebimus iſtos
Pœnis dedendos, quas meruere, malis.
Nam grauiter uerbis Princeps mandauit apertis
Noſter, & ingemes addidit ille minas,
Ne quis Vueſtphalicis miles decederet oris,
Hîc niſi ſigna ſuæ det manifeſta fugæ.
Aut aliter noſmet ſcelus admiſiſſe feremur,
Et corrupta dato munere corda leui.
Hinc ſubito cuncti rapiemur turbine capti,
Quæſtio torquebit nos & acerba palàm.
Stridebunt miſerè ualida ui torta ſub altis
Scalis, & magno membra dolore gement.

Hinc ea cogemur quæ ſunt hìc facta fateri,
Caſtra reos duræ nos ita mortis agent.
Inſontes dabimus ueſtro pro crimine pœnas,
Quòd nullam ſeruet dextera noſtra fidem.
Strictas (horrendùm) ſimul incurremus in haſtas,
Et fodiet miles corpore noſtra ferus,
Sic nos Dux miſeros plenis cruciabit in aruis
Milite cingenti mœnia tota truci.
His dictis abeat cœtus permittit ut ille,
Cui fidei caſtæ litera teſtis erat.
Iamq; duos rapiunt retrahendos rurſus ad urbis
Mœnia, quò fiant omnibus iſta palàm.
Vi nituntur ſe miſeri ſeruare, ſed armis
Pars maior ſuperans corpora capta premit.
Tertius haud tulit hoc grauiter commotus amore
Grata uiæ quorum uerba leuamen erant.
Excitat hunc animus ne prælia ferre recuſet
Ingenuus, ſed in hoc corpore morbus obeſt.
Quòd grauis illius ſolidos depaſcitur artus
Febris, & hunc iuris non ſinit eſſe ſui.
Eximit ancipitem tamen imperterritus enſem
Vagina, rapuit cor quoq; laudis amor.
Ira facit uires renuente calore, miniſtro
Robore florenti dat ſua ſigna, iuuet.
Quo potuit niſu increpitans inſurgit, & enſe
Hoſtibus infligit uulnera dira ſuis.

Factaq; collectis uis ſubſeſſoribus horum
Omnibus hæc armis pellitur atra feris.
Iamq; fugam faciunt, quibus eſt data cura, reducant
Hos iterum iuuenes ad ſua caſtra duos,
Elapſi manibus rigido defendere ferro
Conantur ſocium pro pietate ſuum.
Inter ſe dubio pugnant ita Marte per illum
Sepibus incluſus, qui fuit antè, locum.
Quod quoque dimidiæ ſpacium ſit & amplius horæ
Bellatum, nobis hoc nota certa probat.
" Tanta fuit uirtùs animis iuuenilibus, ut qui
" Neſcia geſtarent cedere corda malis.
Ingenuis ſatiùs ducunt occumbere pugnis,
Fundere quàm timidas ſupplice corde preces.
Id ſaltem miſeris hoc tempore defuit unum,
Signa quòd aſſcriptis non habuere notis.
Principiò parcunt non cauſa corporis ægri
Paulo, ſed domini ſcripta quòd iſta uident.
Aſt ubi non ceſſat gladioq; laceſſere pergit,
Hanc uim ferre diu non potuere uiri.
Tum magis atque magis ferueſcit pugna, reſiſtunt
Huic adoleſcentes Marte furente choro.
Nec numerus par eſt, nec par eſt robur utrinque,
Bellaq; continuò prorſus iniqua gerunt.
Pars ita certando gladijs gemit utraque miris
Feſſa modis, creber ſpiritus ore uenit.

Non

Non ualuiſſe pudet tantam ſuperare cohortem
Vel iuuenes, & adhuc Martis in arte rudes.
Quaprópter refugus partim pudor armat, & acris
Aſſiduas partim ſuſcitat ira manus.
Ille graui magnas intendit robore uires,
Hæc ſubiti motus corda furore rapit.
Pugna cruenta ruens inſurgit atrocior, unus
Pulſatur uario terga per ipſa modo,
Donec agens animam penetranti cuſpide coſtas
Confoſſus gelidam corpore plangit humum.
Ianq; magis fuſo crudeſcit ſanguine bellum,
Dum ſtimulat magno corda furore dolor.
Dumq́; uident ſocium miſeranda cæde peremptum,
Præſentis rapuit pectora mortis amor.
Vulnera ui faciunt ualida crudelia, ſanguis
Ora per & frontis tempora læſa fluit.
Et quoties iterum cædes iterumq́; iacentis
His uenit in mentem, ſæuius uſque furunt.
In primis Paulus, ſua quem tamen ægra retardant
Membra, ruit famuli turbine fretus ope.
Hos ferit, & pulchrum putat hîc ſi cuſpide mortem
Oppetat, & uicti pro pietate cadat.
T..q; ſodalis, ait, nunquam moriamur inulti
In rigido, quem Sors deſtinat atra, loco.
Cum morbus magnam ſibi partem uendicet huius
Corporis, haud refert ſi pius enſe ruam.

Etſi uos crimen,cauſamq; tuliſtis acerbæ
Mortis,& in culpa ſum minùs ipſe mala.
Sic fatus medios in cœtus irruit,atq;
Vulnera multa facit, uulnera multa capit.
Intereà bellans alia de parte ſodalis
Per denſos agili fulminat enſe uiros.
Vrgetur tandem loca multa per inuia duris
Pulſibus immitis pro ratione loci.
Inſcius ille miſer ſpacium delapſus in arctum
Non armis potuit membra mouere ſuis.
Ingeminant ictus gladijs furialiter actis
In caput illius, donec in ora ruat.
Pronus humum madidam moribũdo pectore pulſat,
Et tremulo geſtu pallida membra mouet.
Ille cruore iacens terram rigat,atq; frequenter
Palpitat,hinc rigidæ diriguere manus.
De uita Pauli gladijs certatur iniquis,
Vnus iam ſæuas ſuſtinet ille manus.
Attamen exoptant iſtum deſiſtere cœptis,
Et facile occidant ni uetet arma timor.
Quo magis abſiſtunt, tanto magis ille fatigat
Hoſtibus impingens uerbera multa ſuis.
Hinc animos ferit ira grauis,ruit omnis in unum
Cœtus,& hunc cingens duriùs hoſtis agit.
Non habet ipſe miſer quò ſeſe uertat,& altum
Accipit indignis uulnus ab hoſte modis.

In quamcunq; ferens deducit lumina partem,
Conſpicit in propriam tela parata necem.
Nec tamen ille ſuo uitam minùs enſe tuetur
Infeſtis faciens uulnera mille uiris.
Sed ueteri cùm ſit uero ſermone receptum
Poſſe nec Alciden ui ſuperare duos,
Hic potuit nullo tot ſolus corpora pacto
Cum famulo manibus uincere dura ſuis,
Præſertim morbo iuuenis deuinctus acerbo,
Qui face laſſa coquens reddere membra ſolet.
Etſi non ualuit durum depellere fatum,
Hoſtibus ille tamen damna pudenda dedit.
Dum facit hic gyros impingit fortè iacentem
Arboris in truncum, quo remorante ſalit.
Effugium quærens molitur debilis aptum
Infœlix, ſimulàc cor ferit ipſe pauor.
Ira inflammati iuuenem per ſepta ſequuntur,
Horridus auditur uoce minante ſonus.
Oppreſſo miſerè nullus patet exitus, inde
Stipatus ſtrictis enſibus ille fuit.
Deniq; ſic cingunt, pulſant, ut duriter atræ
Occumbat morti ſaucius ante domum.
Namq; negat locus huic lapſo madefactus ab imbre
Officium, firmo ſtaret ut ille gradu.
Et premit hunc caſus, longè grauiora minantem
Hoſtibus, ac robur corporis omne ferat.

Labitur & flexo procumbit poplite tardus
Vulnere, quod læua ſinciput aure capit.
I nunc i, dicunt, reliquis ſociatus, & umbris
Crimina defendens bella moueto nigris.
Ingenti potis eſt tantum uirtute dolorem
Vincere, uix gemitus ædat ut ore leues.
Id modò conqueritur quòd iniquo duriter horum,
Quorum partis erat, perditus enſe foret.
Cur iaculis, inquit, morior confractus amicis?
Et quibus hæc fidam dextra tuliſſet opem?
Ah quanto meliùs magis ingenuumq; fuiſſet
Fortiter ad muros urbis ab hoſte fodi?
Dixit, & ora premens calidos de uulnere fumos
Efflat, & inſtanti lumina morte tremunt.
Sic ferus armigero & truculentus Numine multos
Iniuſta perimit Mars quoq; cæde uiros.
Per culpam perit hic alienam miles honeſtè,
Exitioq; ſibi mens generoſa fuit.
Cùm uidet hæc domini morientis fata miniſter,
Effugit, & ſylua ſe propiore tegit.
Nequicquàm ſtudio, & maledictis quæritur, atq;
Poſcitur ad pœnas ſurdus ab hoſte graues.
Infodiunt gelidæ deuicta cadauera terræ,
Vt proſtrata procul ſingula fortè iacent.
Semineces magno cœperunt ordine multos,
Læſa quibus ſua ſunt corpora, ferre domum.

Iamq́; propinquabat deuexo ueſper Olympo,
Cùm ſubeunt fumis obſita tecta nigris.
Apparet foribus per rimas undiq; clauſis
Flamma, micans medijs ædibus ignis erat.
Hunc pueri cingunt uili cum ueſte frequentes,
Durus inornata cum pare uirq́; ſedet.
Vtq́; dapes rudibus facilis dat menſa colonis,
Sic tenuis ſedat potus ut unda ſitim.
Ater panis, olus, pulmentaq́; dura rigeſcunt,
Et faba, cum micis miſtus in igne liquor.
Caſeus, & flauus niuei flos lactis abactus
Pulſibus, è crudo tergore larda ſuum.
Protinus inſtaurant gladio confecta nocenti
Vulnera, quæ multis partibus oſſa ſecant.
Irritus exprimitur plantagine ſuccus ab herba,
Cui caro miſcetur fortè ſuilla uetus.
Ingenteſq́; fouent plagas, terguntq́; cruorem,
Factaq́; ſuffundunt unguina uulneribus.
Illa ligata ſuo & deducta uolumine tela
Subtili impoſita linea fila tenent.
Vnuſquiſq; graues ita re poſcente periti
Partes hoc Medici tempore miles agit.
Inq́; ſuis aliquot miſerè moriuntur in antris,
Et ſubeunt duro fata pudenda modo.
At reliqui languent mutilati membra cruento
Enſe, nec in multos conualuere dies.

Sic merita magnos hi pro mercede dolores
Ob iuuenum cædem,magnaq́; damna ferunt.

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER VII.

PRælia dum gladijs crudelibus iſta geruntur,
Arma parare Duces altera rumor abit.
Inſtaurat ſenſim uires exercitus omnis,
Cunctaq́; ſupplentur milite caſtra nouo.
Nam ſimulác Princeps nihil aſtu proficit ullo,
Bella iubet totis uiribus inde geri.
Cunctatur nihil aggrediens ſine pectore, dum ſe
Expedit, ut faciat tempore cuncta ſuo.
Miles erat uero dictus de nomine paruus
Henſulus, huic titulum longa platea facit.
Totus & ille mera conſutus fraude doloq́;
Putet, & é ſolis iubilat uſque malis.

Qui prius & ſocios & multas prodidit urbes
 Militiæ ſoluens perfidus arte fidem.
Transfugit ad ſæuum deſerto Principe regem,
 Cui retegit quicquid pectore caſtra gerunt.
Illicò Rex cunctis ipſum comitantibus Aulæ
 Ordinibus tumidi mœnia luſtrat equo.
Arma parent omnes mandat citò, quilibet & ſit
 Acribus uſquè ſuis promptus in excubijs.
Omnia quæ poſtquam uigilans confecerat, ad ſe
 Confeſtim proceres, quos fouet Aula, uocat.
Aptum ſollicitus ſibi quærit iterq; modumq;,
 Poßit ut Imperij iura tenere ſui.
Nunc ſibi fortè timens quoſuis patientibus audit
 Auribus, & nullum ſpernit, ut antè, uirum.
Omnes conſilium dant huic graue, quemlibet ut quò „
 Noxius affectus, quo'ue crumena trahit. „
Deſtinat hinc aliquot reliquas miſſurus ad urbes,
 Nocte uiris ſocijs qui facienda ferant.
Hæc ubi finita eſt exactis concio rebus
 Conuenit in ſolito Secta cruenta foro.
Myſtes ille uiros Sectarius admonet omnes
 Acriter, ut ſumma ſe tueantur ope.
Venerat ut cœtus rapido cum turbine, uerba
 Huic ita multiloquo fatur amica ſono.
O pia turba ſacras iterum renouata per undas,
 Dona ſtupenda fauens cui Deus iſta dedit.

Ora

Ora tenens precor, hæc animis attende paratis,
Vera ferens author quæ tibi dicta canam.
Non ego uana quidem clamans nec inania dicam,
Sed quæ uel ratio certa nec eſſe neget.
En agè, quàm nihili nobis facienda, domandus
Quæ Præſul non re ſed modò uoce canit.
Fruſtrà pugnauit, fruſtrà pugnabit, & iſto
Ille ſuas omnes turbine perdet opes.
Quòd Superi noſtris hìc ſtent à partibus, illud
Tradita de cœlis ſigna notanda probant.
Omnia ſunt nobis, uidet hoc ut quiſq;, ſecunda,
Noſtraq́; res, ſupra uota petita, fluit,
At ſecùs hæc timidis cadit aduorſantibus, ut quos
Hanc leuis ad pugnam nec pia cauſa trahat.
Prouocat auerſi magnam ſibi Numinis iram
Hoſtis agens armis mœnia ſancta ſuis.
Hoc magis in dedecus ſcelerum prolabitur omne,
Quo magis hæc cupiens perdere regna furit.
Iam ſacra nequicquam templis facit ipſus in altis,
Thuraq́; dat uana prorſùs odora prece.
Sit licet hoſtilis numero maiore caterua,
Pauca tamen nobis hæc dare damna poteſt.
Nanq; ſua ſic ſpe ſemper fruſtrantur, ut iſtis
Conatus miſeris irritus omnis eat.
Frigidus iccircò nullum metus obruat, oro,
Nec procul à duro turpiter hoſte fuget.

Ingenuus decor eſt, cùm res ita poſcit, ut omnes
Martia magnanimo pectore bella gerant.
Sic pariet regnum nullis uiolabile pugnis
Dextra potens nobis robore ueſtra ſuo.
Tunc noſtras totum ſub Leges enſibus orbem
Mittemus uicto duriter hoſte pijs.
Tunc pariter cuncti cauſis lætabimur æquis,
Longaq́; nec rapiet gaudia tanta dies.
Nos proceres latè reliquis dominabimur oris,
Sponte ſua gentes munera multa ferent.
Agnoſcent Dominos & nos reuerenter habebunt,
Omnibus & gratum quicquid agemus, erit.
Tam fuerint per nos cœpti clariſsima regni
Quàm bona Ieſsiadæ lumina Regis erant.
Fauſtus ut auxilijs fuit hic cœleſtibus olim,
Sic aderunt nobis Numina ſumma pijs.
Quis cunctas memoret gentes, quas ſæpe fauentis
Iſte Dei populus contudit aſper ope?
Sæua Palæſtini ſenſerunt prælia uicti,
Sicut Idumæus, ſic Moabita iacet.
Hoſtibus Aegyptus quoties & Marte potenti
Victa Duces Arabum terga dedere ſuis?
Nonne ſuperba ruit penitùs Babylonia, nonne
Angelico cæſi ſunt priùs enſe Syri?
Deniq́;, quotquot erant inimici, ſuſtulit olim
Cœlitibus uires dantibus ille ſuas.

Quin ſi conſilijs & robore prælia noſtro
Cominùs hæc paucis expedienda forent,
Non ideo fuerit ſpes abijcienda, ſed aſper
Quæratur cuneo nodus aduſquè malo.
Arma, uiros, galeas & opes, clypeosq́; globosq́;
Hoſtis, & apta ſibi ſcuta potenter habet.
Contenditq́; graui ſubuertere mœnia bello,
Et cupit hæc armis perdere cuncta ſuis.
Quid noſtra refert? nihil horum deficit altis
Aggeribus clauſis, ſæpibus, amne, ſitu.
Vrbs ſatis eſt munita ſuis hæc uiribus, omnes
Si modo magnanimos ſe meminiſſe uelint.
Hîc opus eſt curis, uigilanti mente, ſagaci
Pectore, firmatis cordibus, arte, manu.
Nemo ſuis igitur diffidat rebus, at omnes
Alta ſibi ſperent Marte trophæa ſuo.
Hæc fatus properè ſolio deſcendit ab alto,
Et loquitur magnis dicta tegenda uiris.
Mox abit hinc lætans populus ſpe, gnauiter atq́;
Sedulus officium quiſq́; repentè facit.
Sic miſerum uulgus Scriptura Luſor abuſus
Decipit, & cunctis horrida fata parit.
Hinc abit & noua ſacra iubet facienda per urbem,
Vt leuis hoſtiles diſsipet aura minas.
Præcipit orari pro multis millibus illis,
Quæ foris expectant huius & urbis opem.

Quæq; parata manent, ut Regi tempore certas
Suppetias tanta pro pietate ferant.
O nimis infœlix plebs & miſeranda, per artes
Quæ decepta malas hæc pia ſacra putat.
Nam facilè eſt rudibus tenebras offundere cæcas,
Si potes hæc uarijs amplificare modis.
Sæpè fit ad populum ſacra nomine concio, uerùm
Illa uocanda magis ſeditioſa uenit.
Lingua ſuo ſplendet uario fucata colore,
Intùs mens aliud ſubdola prorſùs agit.
Verba carent rebus ſpecioſè dicta gerendis,
Nec bene conueniunt moribus iſta malis.
Hic ubi ſuggeſtum properans inuaſerit altum,
Diſsimulat primùm quæ mala corde coquit.
At ſi iam tumido caleat de pectore guttur,
Euomit hic uirus largiter omne ſuum.
Non aliter quàm cùm ſerpens pede preſſus in herba
Sibilat, & linguas exerit ore citas.
Lubricus attollit caput hic, rabidosq; minatur
Morſus, ac uarijs rictibus ora mouet.
Vipereum ſpargit frendens ferus omne uenenum,
Tangat ut aſtantes inficiatq; uiros.
Acriter elatrat, mordet, ferit, excitat, auget,
Vt certam faciant horrida uerba fidem.
Præ ſe fert ueræ ſpeciem pietatis, & uſquè
Plurimus in rabido uoluitur ore Deus.

Et ſua facta probans ſolum ſe ſcire uideri
Vult, & amat catulos urſus & ille ſuos.
Falſa citans oris uaſto detorquet hiatu
Aſper, ut his moueat neſcia corda ſonis.
Talia uerba loquax multas facit acris in horas
Dans leuibus nugis pondera pulchra ſuis,
Nam uafer à populo laudes ſibi poſcit inanes,
Quem trahit aſpectu gloria falſa ſuo.
Vult leue monſtrari digito per uulgus, & hic eſt
Expetit, & fucos captat ubiq; ſuos.
Nec minùs ardenter dulci fauet iſte lucello,
Quod tumida partum gratius arte uenit.
Poſtulat ille ſibi diuinos cæcus honores,
Et bonus hoc dici gaudet in orbe Deus.
Arte ſuam faciens miſeram ſine pectore plebem
Decipit, & furijs credula corda ſuis.
Cuncta ſalutiferi peragit ſub nomine CHRISTI,
Sanctus de tumido Spiritus ore uenit.
Hac tegit arte malus falſusq; propheta furores,
Quos tacito prauos pectore ſemper alit.
Mille per affectus rapit oris turbine uulgus,
Verbaq; mirifico plena fauore facit.
Ille palàm clamans laudat ſua dogmata, nilq;
Magniloquo niſi quod dixerit ore, probat.
Quæ ſemel amplexæ deceptis ſomnia Sectæ
Sunt animis, ſemper mordicùs illa tenent.

Non pietas, non has ratio dimouerit, et ſi
Mille ſuo perdant corda furore pia.
Et tamen inſulſæ tanta eſt dementia plebis,
Vt ſinat imponi ſic ſibi cauta minùs.
Hæc ubi dura uidet ſibi paulùm frena remitti,
Præceps, cæca, furens in ſcelus omne ruit.
Principibus maleſida ſuis, maleſida doceni
Optima, perniciem deperit illa ſuam.
Hoc Iudæa ſuo diuinæ lumine Legis
Omnibus in rebus regna probare queunt.
Exemplum dedit ipſa ferum Germania nuper,
Perfida dum Ducibus Ruſtica turba cadit.
Sic homines furioſa facit doctrina proteruos, „
Dum tua, quò libuit, dogmata CHRISTE *trahũt.* „
Hìc ubi cædiferum Princeps differre tumultum
Pergit, & in multos bella ſecunda dies,
Ocia rex Sectæq; Duces & miles in urbe
Securi cauſa proſperitatis agunt.
Omnia iamdudum magno ſplendore parata
Quæ ſibi pugna grauis Martia poſcit, erant.
Quid faciam? nũquam quia mens humana quieſcit, „
Ocyus in rebus qua nihil eſſe patet. „
Aut ea, quod rarum eſt, aliquid molitur honeſti, „
Aut ea, quod crebrum, ceu ſibi nata, mali. „
Ceſſant arma, nouas gens Regia cogitat artes,
Hoſtis ut hoc ſalſo luderet acta ioco.

Arguit ignauum longo quod tempore tardus
  Cunctetur, nec agat quod graue cœpit opus.
Ecce macri duo prorſus equi mittuntur ab urbe
  Hoſtibus, & bigis uaſa uetuſta trahunt.
Vaſa uetuſta trahunt nullo ducente, uiriſq;
  Iſta fimis miſto plena liquore ferunt.
Dona ſed iſta Duces tanquam manifeſta repellunt,
  Cùm nihil accepti poßit ab hoſte dari.
Hos ubi languentes portis conſpexit apertis,
  Suſpecta hæc meritò munera miles habet.
Sed tamen ut flocci facit hanc pars maxima uitam,
  Excurrit propero plana per arua pede.
Sperat & ingreſſum reſeratæ protinùs urbis,
  Fortè quid & mißis retur ineſſe cadis.
Clauſa ſed inductis citò cùm ſint limina clauſtris,
  Quid bijuges rerum quærit ab hoſte uehant.
Moxq; tenax ſummo cum terra foramine uulſa eſt,
  Aura dedit tetro flamen odore ſuum.
Expuit hinc ſeſe retrahens, geminiſq; reflexa
  Obſtruit appoſita naribus ora manu.
Verba nec aſtutas tacet execrantia fraudes,
  Cùm ſua deluſus caſtra relicta petit.
Regulus intereà ſpeculis proſpectat ab altis
  Hoſtibus inſultans per ioca mille ſuis.
Aſcenſu ſuperant uario conamine turres,
  Turbine deiecit quas furor antè grauis.

Exitus inceptis quo rebus honore futurus
Mœnia conſcendens cernere quiſque cupit.
Hic ita ridiculi ſunt omnia plena cachinni,
Dum uariant geſtus fœmina uirq́; ſuos.
Diſsimulat Princeps ſuccenſum pectus & iram,
Et quæ molitur plurima corde tegit.
Militiam munus Cereris iam deficit almæ
Ob tempeſtates aëris hasq́; graues.
Eſurie cogente frequens grunitus in auras
Impatiens longæ tollitur uſquè moræ.
Sed iam iam cœlo ui Solis nube ſereno
Euicta, rerum copia larga uenit.
Obuius it miles, uerbis obiurgat acerbis
Exagitans tardos ruſticitate uiros.
Ingens exoritur preſſa contentio turba,
Dum rapit aduectos ore crepante cibos,
Parteq́; iam redolent omni Rhenana Moſellæ
Miſta ſub auſteris optima uina meris.
Promitur & ſtomacho grauior cereuiſia ſaxis
Vix poſitis curru ſe remouente cadis.
Dant operam genio ſecuri corda futuri,
Et fuit his preſſa ludere cura fame.
Alea, taxilli, cum pictis teſſara chartis
Omnibus exiliunt Marte ſedente locis.
Promitur æs loculis damnoúe lucroúe relictum,
Spes auidi quæſtus pectora dura trahit.

Efferueſcentes animi ludoq́; meroq́;
Paulatim miris incaluere modis.
Hîc agitur uerbis de more minacibus, illic
Pugnis res iſtic enſe micante truci.
E tumidis uolitant iurantia murmura buccis,
Nam nihil hîc pietas anxia iuris habet.
En furit amiſsis quidam ſine pectore nummis
Deſpondens animum miles ob æra ſuum.
Aßiduo loquitur blaſphema furore tacenda,
In'que Deum iaciens impia dicta uomit.
Arguit accuſans Tragicis ſine mente querelis,
Et caput hunc damni clamitat eſſe ſui.
Quin globulum ſubita ui pulſum pulueris atri
Igne ſubaccenſi mittit in aſtra ferox.
Stulte quid inſanis, cùm ſis tibi cauſa malorum
Solus, & iſta tibi ſponte uolensq́; pares?
Permittens externa homini diuina uoluntas
Subdit, & arbitrio ſubijcit iſta tuo.
Non menti miſer, heù, nimium miſer haſce ſupremæ,
Sed tibi tu pœnas ſuppliciumq́; paris.
Nanq́; Deus lædi nequit his mortalibus armis,
Noſtraq́; nec ſuperis tela nocere ualent.
Res ut aperta fuit Ducibus tam dira, repentè
Impia comprendi, qui facit iſta, iubent.
Haud mora, clara ſuos extollit fiſtula cantus,
Raucaq́; conſueta tympana uoce ſonant.

Hinc

Hinc ſubitò cœtum ludis glomeratur in unum
  Abiectis auidè Martia turba ſuis.
Res latet hæc alios, ſunt qui ſibi præſto locatis
  Inſidijs hoſtem forſitan eſſe putant.
Autumat inſultum pars pleraq; turbinis iri
  In fera iam factum mœnia uulnifici.
Ecce trahi ſpectant manibus poſt terga ligatis, Punitur blaſphemus.
  Qui rabido ſummum læſerat ore Deum.
Ad latus it, numeret ſua cui peccata, ſacerdos
  Triſtior inculcans cum pietate fidem.
Illicò dux aciem grauis ordine colligit apto,
  Denſius ut conſtans ſtipet utrunq; latus.
Stantq; parata neci cunctantibus arma cruentæ
  Omnia militibus cædibus uſq; feris.
In medio uia dura, patet non exitus uſquam
  Curſuro, rapidæ ſpes neq; tuta fugæ.
Carceribus metam non apprenſurus inhæret,
  Quem circùm famulis Dux comitatus adeſt.
Magnificè cauſis ſententia dicitur atra
  Expoſitis, dignus cur nece miles eat.
Noxia quamq; forent poſthàc exempla gerendæ
  Militiæ, niſi ſit pœna ſecuta nefas.
Hæc Duce uentoſis dicente ſilentia uerbis
  Alta uiris ſubitò murmura cuncta fugant.
Cui, poſtquam finem dicendi fecerat, omnis
  Protinùs acclamant uoce patente cohors.

Haſtarumq́; ſua ſtrictarum cuſpide damnant,
Supplicio immani, quod meruiſſe canunt.
Addicto morti datur & ſua copia fandi
Libera quæ cupiat, moris ut eſſe ſolet.
Hic ſua coniectis inflatus ad ilia utrinquè
Confeſtim manibus talia uerba iacit.
Heùs ſocij, quibus eſt Mars curæ ſemper, & arma,
Prædaq́; perfuſo grata cruore uenit.
Plenaq́; menſa, graues & uina fugantia curas,
Et facilis poſito miſta pudore Venus.
Ac uarij luſus fallentes tempus & horas,
Lætitiæ Mundus deniq́; quicquid habet.
Hoc primùm poſco, mihi ne quis parcat in iſto
Curriculo, tardam non decet eſſe necem.
Dein rata ſint quæ fert mea cumq́; ſuprema uolūtas,
Quæ meritò cunctis inuiolata manet.
Vos eritis fidi teſtes mihi fraude remota
Qualibet, hæc mea mens ultima uota facit.
Hanc Superis animam commendo, uile cadauer
Iam quod erit, Sathanæ, corpus inane, truci.
Et caput hoc, quantum eſt, bibulis ego lego futurum
Craterem Dominis, ſint ubicunq́;, ſacris.
Quo mera potantes lætentur grata puellis
Cum lepidis, ualeant & meminiſſe mei.
Cætera ſubticeo, quia dictu fœda pudicis
Auribus, & tantùm milite digna ſuo.

Tollitur his riſus dictis reſonante uirorum
Murmure, circumdant qui ſtatiône locum.
Omnia promittunt quæ nunc ſibi poſtulet ille,
Et faciunt fati ſpem quoq; cæde breuis.
Sic humana ruit (miſerùm) natura per orbem »
Cæca ſuis diro merſa furore malis. »
Ante oculos licet, hei, mortis uerſetur imago »
Horrida, nil præter ludicra dicta canit. »
Quàm ſatius fuerat ſcelus agnouiſſe, Deiq; »
Auxilium merito poſcere CHRISTE tuo. »
Iudicis ad ſcapulas poſita damnatus acerba
A tergo ſtantis truditur ille manu.
Nec mora, uix curſu malè cœpto cuſpidis unus
Mox caput à dorſo pondus in huius agit.
Hoc & idem faciunt alij, ruit ictus in unum
Creber, & attactu uulnera multa facit.
Non ſecùs ac ſtratus cùm frugibus area diues
Pulſibus urgetur concutiturq; feris.
Pronus humì cadit, huic trepidāt ſua mēbra, cruores
Vulnera de læſo uertice laxa uomunt.
Aeditur his clamor lætus, numeroſq; ſonantes
Martia dat uario Muſa colore ſuos.
Nec ceſſant hominem cuncti memorare beatum,
Quem breuis haud lenta mors ita tabe trahat.
Proxima non altis ſcrobibus dat terra ſepulchrum
Occiſo, redit hinc ad ſua caſtra cohors.

Ecce aliud ſæuum, quod agit face uirus habenti
    Cominùs inuadens agmina lecta, malum.
Ducitur obſcurum denſa caligine cœlum,
    Quam piger incluſus nubibus æſtus agit.
Peſtiferumq́; Notus iacit aſpiratq́; ſuſurrum,
    Auram qui ſerpens inficit, aura uiros.
Illicò per turmas latè contagio ſerpit,
    Et ſubitò multos dira uenena metunt.
Quin alijs noua peſtis ineſt, calor intùs inhæret,
    Et malè colla ſua liuida carne tument.
Maximus exardens calor undiq; pectus adurit,
    Inflatumq́; dolor concutit uſq; caput.
Ingens æſtus, & hunc ſequitur ſitis arida, guttur
    Linguaq́; ſub ſiccis faucibus atra riget.
Morbo correptus non longo tempore languet,
    Vix Medicina uiris utilis ulla fuit.
Alba niſi inciſis quà uenis lingua tumeſcit,
    Vt fluat infectus uerticis inde cruor.
Ingentem miſeris collecta per agmina cladem
    Attulit hæc cauſa dira latente lues.
Profluuio uentris laxi pars magna laborat,
    Multaq́; ferueſcens corpora febris habet.
Graſſantur rabidi ſimul & contagia morbi,
    Aſpera qui maculis membra rubere facit.
Deformat nitidum naſi decus omne, facitq́;
    Nil niſi ſit uiuum carne cadauer homo.

Horrida non licitæ Veneris ſunt præmia, ſemper
Digna ſuo tandem pœna furore uenit.
Terrarum ſerpit longè lateq́; per orbem,
Non uacat Hiſpani hoc uaſtior ora ſoli.
Non hac cum nitidis Germania peſte Britannis,
Non Latium, non hæc Gallia peſte caret.
Nox erat, à caſtris Heros Franciſcus in arcem
Dicchuſium cauſa pro grauiore redit.
Hinc & Vuolbecam repetit comitantibus armis
Et belli Ducibus, quos ſibi præſto uelit.
Militiæ cœtus numeroſior undiq; nummis
Quæritur, ut pugnæ ſufficiatur opi.
Et iam clara dies Phœbo redeunte micabat,
Lætitiam multis quæ tulit orta uiris.
Fama uolans magnos equitatus ſpargit adeſſe,
Quà ſeſe celeri uortice Rhenus agit.
Viſendi ſtudio Princeps pius Agrippinus,
Atq; Palatinus, Naſſoq́; caſtra petunt.
Quò ſimul afflicto præſentes tempore cunctis
Longa bonis ſolito tædia more leuent.
Per nemus & rude rus equitant, pecudumq́; uagãtes
Aſpiciunt uarios ære ſonante greges.
En armenta uides raros errare per agros
Et ſaltus comiti plurima? Præſul, ait.
Etſi plus ſit in his, reſpondet, tractibus horum
Magna finitimi pro ratione loci,

Multa tamen uulſis bene culta noualia dumis
  Terra fouet, culmus quæ putris apta facit.
Vaſta ferunt humiles aliter deſerta myricas,
  Crebra quibus paſſim ſylua propinqua uiret.
Cognitus ipſe licet ſit in hac regione Thyoneus,
  Vix tamen hunc rara uite ferace colit.
Quam neq; ius nemorũ, nec paſcua longa morantur,
  Hæc colitur magno terra labore uiris.
Vrbibus inde Ceres redit omnibus alma quotannis,
  Et ſua cuique domo meßis habenda uenit.
Hæc alit ora boues uituli lactisq; feraces,
  Lanigeras & oues, glandiuorasq́; ſues.
Grandia cum uarijs nitidißima ſaxa Metallis,
  Tignaq́; condendis ædibus apta parit.
Multa colens lætis uernantia prata uiretis
  Vueſtphalis in ſeſe terra paluſtris habet.
Et, quò plus referant pecudi quoq; graminis, iſtic
  Omnia diductis illa rigantur aquis.
Iuncta ferè cæcis ſunt paſcua ſaltibus, atque
  Sepibus inductis undiq; ſepta uirent.
Magnaq́; concipitur zephyro ſpirante uoluptas,
  Cùm rediuiua ſuis cingitur herba comis.
Cùm redolent pulchro uiolaria grata colore,
  Et roſeo ſpirat totus odore locus.
Perplexis uirides ſurgunt è uepribus herbæ,
  Vitrea riuorum per nemus unda ſalit.

Et uolucrum blando dumeta uirentia cantu
Vſquè ſonant, æſtus Solis & umbra fugat.
Interdum ſtudijs hîc exercetur apertis
Diuitis ingenuum Nobilitatis opus.
Hosq́; canes lucos ſæuis latratibus implent,
Dum fera fit multis præda petita locis.
Horrida præſertim cùm Bruma reduxerit acre
Frigus, & hos lapſu uix tegit alta ſinus.
Nunc aper adfertur, qui cuſpide foſſus acuta
E tumido dentes exerit ore feros.
Nunc lepus à canibus curſu ſuperatus, & ille
Fila tenent nodis quem cumulata ſuis.
Quin ramoſa gerens captus quoq; cornua ceruus
Eiulat, & lachrymis mœſtior ora rigat.
Nec ſua caudatas fraus protegit intima uulpes,
Pro quarum uarius fit modo pelle labor.
Cædua ligniſecæ pars hæc ſubiecta ſecuri,
Fumiferis creſcit tota cremanda focis.
Cæſa ſilüs plauſtro ſtridente uehuntur ad urbes
Ligna, quibus fiſsis dura leuatur hyems.
Omnia conſiſtunt cumulos digeſta per altos,
Arida dum magno facta calore crepent.
Sed procera ſuo faciendis tempore tectis,
Aptaq́; Chaonijs fructibus illa manet.
Glandiferisq́; ſolet frondeſcere Quercubus, undè
Mortales multùm commoditatis habent.

Pabula

Pabula nam ueniunt porco rapienda uoraci,
Diues ut Autumnus munera grata tulit.
Pinguia ſetigeræ pecudes ſua terga reportant
Paſtibus, hinc armi cum petaſone rigent.
Ad nigra Veſtphalus hæc fuligine tigna, ſaligno
Suſpendit medijs, uimine nexa, focis.
Rimoſas laquear tenet hæc fumanda per ædes
Vile, patet ſeries ordine longa ſuo.
Hæc alibi montes, ambages terra frequentes
Omnis habet, dubijs ſunt loca cæca uijs.
Rara domus Ruri, ſed & hæc per longa uacanti
Interualla loci ſub regione ſita.
At munita ſuis per aquas ſtant oppida foßis
Aedificata ſatis, pluribus aucta bonis.
Sic iter inter ſe longum ſermone leuabant
Multiplici, natæ pro ratione rei.
Et iam Vuolbecæ tecto tamen ære caterua
Feſtinans tumidis tota propinquat equis.
Nec mora, præſciſcēs Princeps Frāciſcus, & omnes
Quotquot erant comites pectora læta gerunt.
Surgunt, & properi domibusq; locisq; relictis
Aduorſè pergunt ocyùs ire uiris.
Excipit hos ſaluere iubens, præfatus honorem
His ſibi nil planè gratius eſſe refert.
Illicò poſcit equos dictum factumq; paratos,
Quos citò conſcendens it ſimul ille comes.

Plurima perq; uiam uario ſermone ferebant,
Dum caput his motus detegit ille grauis.
Indicat & quæ ſit rebus Fortuna nouatis,
Quamq; ſit inſtabilis luſibus illa ſuis.
Qua putet & pugnam dicit ratione gerendam,
Perq; uices horum candida uerba capit.
Nam quia non paruis agitur de rebus,eorum
Dicta tenens memori ſingula mente fouet.
Ventum erat ad ſtrepitus caſtrorum, tectius ædem
Mauritio ſubeunt nocte ruente ſacram.
Actutùm ſua deſtituens loca denſior ordo
Cedit,& exhibet his id quod honoris erat.
Tollitur eſuries dapibus, ſitis arida uino
Eximitur,tempus ſed breue ſomnus habet.
Nam cùm nox mediam ſibi metam cæca teneret,
Conſilium ut caperent exiluere uiri.
Omnia diuerſis uoluunt hi mentibus, atq;
Manè citi luſtrant tempore caſtra breui.
Ob noua magnus habet ſtupor hos exẽpla, uidentes
Mirantur Sectæ facta pudenda feræ.
Intereà magis atq; magis ſecura triumphat
Vrbs grauis & fati non memor ipſa ſui.
Indulgent genio nocteſq; dieſq; proterui,
Nullaq; lætantes bella timenda canunt.
Poſtera lux oriens primo ſurgebat Eoo,
Caſtra uigil muris proſpicit iſta chorus,

Auctaq́ iam multo tentoria milite cernit,
Hinc aliquid magnæ ſuſpitionis erat.
Res Regi memorata nec eſt hæc cauſa timoris
Magnifico, uulgus nec pauor omne trahit.
Secretis ſeſe pauci citò clauibus abdunt,
Tantaq́ diſpiciunt res ut agenda foret.
Iamq́ iubent forti prohibendum mœnibus hoſtem
Pectore, ſi pugnis ingruat ille ſuis.
Accitum certas populum de more per horas
Multa canens iterum tu Rothomanne mones.
Rex cum uate, ſenes, Cnipperdolingus, & unà
Crechtingus curam Martis & urbis agunt.
Et ſua cuiq́ uiro commendant munia, magnæ
Spemq́ rei faciunt, ſi bene cuncta gerant.
Et iam tempus erat, quo torrida deſinit æſtas
Eſſe, nec ingenti conficit arua ſiti.
Poſtremas lepidæ cùm permeat ordine partes
Virginis, & Libram Phœbus adire parat.
Hîc ubi de rebus conſultauere gerendis,
Et quid adhuc facerent conſtituere Duces,
Vt grauis in muros alter ruat impetus altos
Stat fera flammigeris Machina facta globis.
Hanc corbes lento tutantur uimine facti,
Et latet obſtructis puluis ubiquè cadis.
Mœnia perluſtrant aliquot ſcandenda ſagaci
Curriculo, ſcirent quà raperetur iter.

Nunc

Nunc hos, nunc illos aditus ſibi quærit, & omnem
Hunc celeri miles proſpicit arte locum.
Iamq; labore uagæ ſalices nectuntur inani,
Et teretes palos flexile uimen obit.
Ingens ſcalarum numerus diſponitur, alti
Nocte recens moles aggeris erigitur.
Expectant pugnam ſibi Martis utrinquè parati,
Et dubiæ prompti prælia Sortis auent.
En redit à rapta Legatio Principis urbe,
Quæ Regem ſeſe dedere nolle canit.
Debita iure Duces æquo poſcentibus æra
Militibus numerant uoce crepante ſuis.
Impenſè ualido ſub Marte laborat, ut hoſtem
Expugnet Princeps omnibus uſquè modis.
Mandat agant totis quoq; mœnia uiribus omnes
Rapta, nec hac parçant rebus in urbe uiri.
Omnia confundant, muros, ſacra phana, domorum
Tecta, ſuo moueant culmina quæq; loco.
Hos modò ſi ualeat diſperdere funditùs hoſtes,
Poſſe refert ſeſe maxima damna pati.
Hinc tres uſquè dies muri quatiuntur, in urbem
Mœnibus ut fractis latius eſſet iter.
Horrida laxantur tormenta uomentia flammas
Cum globulis creperas igne uolante ſuis.
Mox ſonus horribilis patulas diuerberat aures,
Et rapido ſternens tecta fragore quatit.

Hinc

Hinc uapor ætherias cæcus conſcendit in auras
Eripiens oculis denſior ille diem.
Vt tegit atra iubar nebulis caligo ſubortis
Solis, & huc tenebras ducit opaca nigras.
Aeduntur tanti ſtrepitus tantiq; tumultus,
Vt dubites hoc quo more geratur opus.
Non ſecùs opplentur tonitru cum fulgure muri,
Qualia quàm medijs æſtibus eſſe ſolent.
Viribus aſtrorum ſe tollit in aëra moles
Maxima fumorum, montis & inſtar abit.
Vndè graues ſonitus diſruptis nubibus unà
Cùm calido pugnat frigida maſſa, facit.
Crebra cadunt rutilo de cœlo fulmina, necnon
Omnia ſplendenti culmina luce micant.
Denſiùs hyberna muros agitantia totos
Flammea de campis grandine tela uolant.
Tegula crebra ſuis tectis turbatur ab altis,
Quæ rapido paßim turbine fracta cadunt.
Culmina labuntur mutilis reſtantia multis
Turribus & magno lapſa fragore crepant.
Corruit huic ſeruata malo pars militis, acta
Cùm tua Seruati turbine templa ruunt.
Hac pugnæ iaculis ſternunt ratione patentem
Venturæ ſolito non ſine more uiam.
Aſt ea quod damni faciunt ſibi luce per atras
Inſtaurat noctes Regis ubique labor.

Nam nihil hæc facies belli perterruit urbem
Aſſuetam tantis Marte furente malis.
Quin etiam nihili faciens hæc omnis apertè
Deridet factis caſtra reducta ſuis.
Mœnia detergit uelo concuſſa patenti,
Huc quoties hoſtis flammea tela iacit.
Nec minùs huc contrà ſua tela retorquet, ut omnem
Fumigero inuoluat fulmine miſſa locum.
Summaq; conuellit ſubito tentoria caſu,
Eminùs ut pateat lata feneſtra uiris.
Innumeros cæca paßim caligine tecta
Mœnibus è medijs ui procul acta necant.
Cæditur hîc tali Gulielmus turbine Chocas,
Cuius fata graui pectore caſtra dolent.
Hunc magni ſemper fecere Ducesq; paresq;,
Facta quibus propter Martia notus erat.
Conſilijs, uerbisq; ualens nulliq; ſecundus,
Strenuus armigera præſtitit ille manu.
Sponſus erat dictus, ſed iniquo nomine, namq;
Nec ſponſa uinctus, nec ſibi mollis erat.
Eſt propè Charnotum Belgis nitidißima uicum
Villa ſitu, Chocam candida turba uocat.
Aeditus in lucem fuit hîc genitoribus almam
Marte uir excellens prorſùs utrisq; bonis.
Charus erat frater tuus ò Leonharde ſodalis
Candide, te natu maior, honore minor.

Militiæ laudem capit hic, tibi uiuida tantùm
 Muſa, manens uirtus, & pia facta placent.
Plebs cadit infinita per arma Ducesq́; frequentes,
 Non Mars diſcrimen cùm furit ipſe facit.
Vrbanis pereunt aliquot ſine nomine, lapſis
 Ex improuiſo non ſine luce globis.
Maior Iohannes uatum Mattheïa proles
 Sit licet in primis ipſe Propheta, ruit.
Fatidicæ prodeſt nihil huic ſapientia mentis,
 Cùm nequeat leti cernere fata ſui,
Attonitus caſu tanti Rex mœret amici,
 Et ſtupet aſtra tuens & uocat ille Patrem.
Mox alium uatem Bathaua de gente furentem
 In cæſi uacuum ſurrogat ille locum.
Finis erat tonitrus, ſunt alta ſilentia caſtris
 Facta, Duces unum corripuere locum.
Sors iacitur quinam pede prima pericula tentent
 Auſuro muros ſcandere ſanguineos.
Cuiq́; forent partes nulla cum lite ſecundæ,
 Et deinceps, teneat quò decus ordo ſuum.
Expoſitis iam ritè modis, quibus arma gerantur,
 His animos faciunt omnibus ore Duces.
Quiſq́; ſuos animat uerbis ferientibus aures
 Cordaq́; magnificis, Martia cuncta, choros.
Prædicat ingenuæ laudem uirtutis honeſtam,
 Qua nihil imbellis corda pauoris habent.

Quòd queat in bellis audacia callida quiduis,
Sed ſoleat gelidus perdere cuncta timor.
Quòd ſita ſub magnis ea ſit res uiribus horum,
Quam ſimul in dextris cum grauitate gerant.
Nec mortem cuiquam belli pro iure timendam,
Sed decus eſſe mori fortiter eſſe canit.
In primis prædas extollit & urbis opimas,
Quas tenet eneruis iam propè Secta fame.
Tum uerò uideas uehementer pectora ferri
Omnia, cædificus quò trahit illa furor.
Viq; cohors magni rapitur moliminis, urbem
Aggrediens, fati nec timet ullus iter.
Exuperant alij foſſas iam ſepibus altas
Aſſeribus ſtratis, ceſpite, ſtraminibus.
Inſternunt alij pontes per ſtagna labore
Aßiduo, penetrant ualla lacusq; foris.
Multigradas muris hic ſcalas applicat, ille
Scandit, & ardenti mœnia corde petit.
Pars ſuperare ſuo uallorum robora niſu
Molitur, caſſus ſed labor omnis erat.
Pars quatiunt alto munitas aggere portas,
Magnaq; commoniti iam dare damna parant.
Nec mora contendunt fera mœnia fortibus omnes
Expugnare ſuis uiribus, arte, manu.
Exoſos uarijs hoſtes aſſultibus urgent
Cominus, & Martis uis fremebunda ruit.

Non minus audaci Rex è regione repugnat
 Turbine compenſans hoſtica tela ſuis.
Hortaturq́; ſuos pugnemq́; uiriliter urget,
 Nec formidandas Præſulis eſſe minas.
Hæc fore tuta Patris ſuperi quoque mœnia nutu,
 Si modò non deſint corda manusq́; uiris.
Cnipperdollingus diuerſa parte reſiſtit
 Hoſtibus, atque ſuos uoce patente monet.
Sit mora nulla uiri fortes, eſtote parati,
 Et caſus animis pertolerate bonis.
Martia magnifico nobis mors cedet honori,
 Hoc ſi noſtra tamen tempore fata ferent.
Sin autem, quod ſpero quidem, data uita manebit,
 A rebus geſtis gloria quanta uenit?
Quantaq́; Buculides nobis Rex dona rependet
 Omnibus, & meritis præmia quanta dabit?
Hoc facit & Bernhardus idem Crechtingis, honeſti
 Geldhuſij paſtor qui gregis antè fuit.
» Vt Princeps pugnat pro Libertate tuenda,
» Sic Vrbs pro raptis non ſine fraude bonis.
Truditur à muris acies ui turbinis acta,
 Cùm ruit ingemi Secta cruenta manu.
Vrbem iam totis tutantur uiribus omnem,
 Hi turres, illi mœnia Marte tenent.
Vir mulierq́; ſimul iuuenesq́; ſenesq́; repellunt
 Vim, licet ingentem, duraq́; bella gerunt.

Fortiaq́;

Fortiaq́; aduerſis opponunt hoſtibus arma,
Parq́; pari referunt cæde ſequente graui.
Res geritur ſaxis, contis, mucronibus, haſtis,
Tormentis, iaculis, fulminis igne, globis.
Neruis, & longè penna ſtridente ſagittis,
Enſibus, & tædis cum pice flammigeris.
Fuſtibus, & uaſto capitatæ robore clauæ,
Ancipites gladij luce micante ſonant.
Deniq; per circum murorum Marte furentem
Armorum nullum ceſſat in urbe genus.
Dat muliebris agens face cum rutilante coronas
Hoſtibus è muris damna pudenda furor.
Circus uaſorum pice ſublitus igne flagranti
Ardenteſq́; faces horrida tela uolant.
Maxima ſaxorum iacitur uis denſaq́;, necnon
Ingens feruentis copia calcis aqua.
Ecce ferè uictrix ſuperarat mœnia turba,
Quà ſol luciferis manè refulget equis,
Tollitur hinc clamor furibundus aduſq; iubentum,
Vt reliqui fortes conſequerentur eò.
Eſſe truci iam nunc actum de rege, ruendum
Quò Fortuna uiros, quò Deus ipſe uocet.
Sed glomerat ſeſe ualido cum robore Secta,
Et miſeris cunctos cædibus aucta premit.
Sternitur hic ſpacio uir circumuentus iniquo,
Ille animam diro fulmine tactus agit.

Iſte gemit, perit ille, ruit pars foſſa per enſes,
Parsq́; iacens duro læſa dolore furit.
Et fera uictori moriens conuitia miles,
Qui paret hæc miſeris tela cruenta, facit.
Vrbs hominum ſibi damna facit nõ parua furentum,
Turbaq́; mutata plurima ſorte cadit.
Agmen utrinq; perit denſum, gemitusq́; ruentum
Auditur, facies horrida mortis erat.
Succedunt aliјs aliј ſub Marte frequenti,
Suppleturq́; manus milite fracta nouo.
Bis tincti rurſum uincunt, & cæſa furentes
Fulminis in morem corpora multa metunt.
Et iam mutatis redit his fiducia rebus,
Vrbsq́; furens priſcum denuò robur habet.
Sanguinolenta diu dubiјs uictoria pennis
Nutans huc illuc Marte furente uolat.
Omnibus oppugnant ingentem partibus urbem,
Nec mora, nec requies, bella cruenta furunt.
Vndiquè tela uolant cuneos contorta per omnes,
Et caſu ſternunt agmina denſa graui.
Quo maior Sectæ uis hæc fit ab hoſte potenti,
Hoc grauiore ſuo tota furore ruit.
Excidit hoc pacto potiundi mœnibus urbis
Spes Ducibus, ſtabili quòd fuit illa gradu.
Veſper erat, ſurgunt occaſu Solis ab atro
Nubila, nec cœlo ſydera grata micant.

Tempeſtas

Tempeſtas uentura ſonat, ruit horrifer uda
Cum pluuia miſtus, ſummaq́; uentus agit.
Crudeſcunt magis atq; magis certamina diræ
Cædis, & in mortem corda furore ruunt.
Redduntur feßi, gemituq́; premuntur anhelo,
Dum nihil à Ducibus turba quietis habet.
Quilibet iſtorum ſudans huc curſat & illuc,
Increpat, imbelles quos timidosq́; uidet.
Voceq́; continua reliquos urgente fatigat,
Et ſe defendant fortiter, uſquè monet.
Non aliter quàm cùm ſyluis uenator in altis
Inſtigat feſſos, ſi fera uiſa, canes.
Impetibusq́; ruunt illi grauioribus acri
Audito cornu, murmure, uoce, ſono.
Artibus oppugnant ualidam compluribus urbem,
Nec procul à Ducibus, quin caperetur, erat.
Sed ſecùs eſt Superis uiſum, ſua crimina nondum „
Explerant furijs horrida monſtra ſuis. „
Talia conatur reuocare miſertus amore
Ad ſeſe patrio pectora dura Deus.
Amplius his uitæ ſpacium concedit habendum,
Vera pios reddat quò Metanœa uiros.
Longanimis, clemens, mitis, benefactor, & omnis
Toto cuncta mouens Author in orbe boni.
Largus & exundans fons eſt ſitientibus, ipſe
Læta bonus uiuis pectora reddit aquis,

Promittit cunctis affectu magna paterno
 Gaudia finitum non habitura modum.
Si modo de toto dilectum pectore natum
 Agnoſcant ſtabili corda renata fide.
„ Filius hic meus eſt, ait, & chariſsimus, in quo
„ Mens mihi mirifica pro pietate placet.
„ Nam meus eſt Chriſtus, mea quem promiſit Adamo
„ Sancta, ubi peccaſſet captus ab angue, fides.
„ Ille uir eſt, tibi quem donari ſæpius audis,
„ Cùm mea ſub Vatum nomine uerba legis.
„ Omnibus humanis HVNC HVNC audite relictis
„ Doctrinis, ſolus cauſa ſalutis erit.
Aſt ubi mortales animis ſæuire ſuperbis
 Pergunt, & tumidi dogmata falſa probant.
Diſsimulat quaſi iam ſtertens Deus omnia, tandem
 Digna uenit tantis horrida pœna malis.
Cumq́; ſit ardentem propè ſemper lentus in iram,
 Torminis hoc compenſat grauitate malum.
Hæc ubi fruſtrati collucet imago laboris,
 Primores belli non ſine bile fremunt.
Hoc feſsi ſudore ſuos abſiſtere pugna
 Voce iubent, cùm ſpes luxq́; diurna cadat.
Concrepuere tubæ, ſonituſq́; reuerberat aures
 Certantum reuocans ad ſua caſtra uiros.
Attamen hos nequeunt ſubitò ſedare furores
 Ingentes, tantùm pectora cæde flagrant.

Sed tandem noctis ſpiſſæ impedientibus umbris
Prælia Martigeni deſeruere uiri.
Signaq́; præcedunt in ſe contorta pudore,
Integra pars comitans ad ſua caſtra redit.
Repit & huc noctu quæ pars eſt ſaucia, multos
Mors adimit largo fuſa cruore uiros.
Semineces ſocij ſuperante dolore gementes
In ſua nocturno tempore tecta gerunt.
Cumq́; metus foret huc hoſtis ruitura per aſtus
Agmina, noctiuagas ſors facit excubias.
Pernox turba uagans cuſtodit caſtra, ſuosq́;
Muſa dat hîc uarios mota timore modos.
Hoc Anabaptiſtis in mentem uenerat ipſum,
Et procerum quidam ſuaſerat acer idem.
Sed reliquis aliter uiſum, qui robur acerbi
Hoſtis adhuc tanta cæde calente timent.
Eminùs eſſe putant ſatis inſultare fugatis
Hoſtibus, & tuto nunc dare uerba loco.
Quapropter tota iuuat irritare pauentes
Nocte uiros, ne quid fraudis obeſſe queat.
Maxima teſtantur furioſi gaudia geſtus,
Clamor & in tota diſſonus urbe crepat.
Vocibus irridet grauis exultantibus hoſtes
Secta, ſua ſic hæc ebria Sorte furit.
Inſidias uafro meditantur pectore tectas,
Et ſtygios uerſant non ſine cæde dolos.

 Nanq;

Nanq; ubi confuſis curantes corpora caſtris,
Aut uidet intentos rebus adeſſe ſuis,
Aut alto preſſos ſomno, feſſosq; labore
Artus à cœna depoſuiſſe loco,
Aut uigiles minimè prudenti corde ſagaces,
Aut quid moliri caſtra timore putat,
Vi iacit accenſi radiantes pulueris ignes
Horrida tranſmittens tela repentè uiris.
Agmina concutiunt noctu uigilantia, necnon
Quædam lætifera corpora mole premunt.
Intereà curæ Franciſci pectore creſcunt
Sollicito, duris decoquit oſſa dolor.
Triſtis hic incolumi cum Nobilitate, Ducesq́;
Qui reſtant, ſortem uoce querente gemunt.
Innumerosq́; dolent magna de ſtirpe iacentes
Morte uiros, iuuenes, dura per arma, ſenes.
Tot ſimul artifices iaculi Martisq́; peritos,
Militis ut taceam tot perijſſe greges.
Nulla mouent nimium mœſtos mera uina, nec ullæ
Appoſitæ recreant uiſcera fracta dapes.
Nulla quies mentis, non ſomnus tempore noctis
Irriguus ſolito corpora laſſa fouet.
Infauſti referunt caſus certaminis, horum
Quos pudet & culpam nomine quanq; tegunt.
Hoc ita debuerat fieri, ſecùs illud, omitti
Iſtud, & exacta re ſibi quiſq; ſapit.

Vrbs quibus optarant non expugnanda uidetur
Iſta modis, tantum robur ineſſe uident.
Quare conſilium captant de rebus agendis
Poſt alio, quia ſit res malè geſta, modo.
Quilibet enumerat, quæ ſit ſententia mentis
Magnorum coram Principe certa, Ducum.
Pars animo cenſet initam conſtante ſequendam
Eſſe uiam, ſine qua nil bene poſsit agi.
Pars grauibus dicant deſiſtier utile cœptis,
Ni timor hoc fari, ni pudor ora uetet.
Autumat hic urbis quia mœnia firma putentur,
Corpora tabifica conficienda fame.
Ille ſed inſidijs rem tectis ſuadet agendam,
Fallendosq́; pari calliditate uiros.
Dumq́; alijs aliud faciendum iure uidetur,
Subducta uerſant hac ratione diu.
Paucis reſpondet cunctis Franciſcus honoris
Appoſito Princeps nomine cuiquè ſui.
Vos ſatis iſta mihi feciſtis dicta ferentes,
Quæ menti noſtræ grata fuere Duces.
Turbati ſenſus, nunc mens eſt obruta curis,
Hæc aliud tempus cauſa locumq́; petit.
Eſt ratio lentè penſis ineunda periclis,
Quid præſtare manus, dura quid æra queant.
Corpora nunc curate uiri, date corda quieti,
Tempore conſilium res dabit ipſa ſuo.

Vos tamen iſta ſimul uigilanti mœnia cura
Seruetis, ne quis captet ab urbe fugam.
Poſtera lux aderat furioſi plena doloris,
Obruta quòd duro corpora Marte forent.
Intumulata iacent paßim per ſaxa, per undas,
Per uarios, circum caſtra reuulſa, locos.
Aggeris in tumulis uideas proſtrata uirorum
Agmina, quæ ſæuo uulnere uicta iacent.
Stagna cruore rubent effuſo proxima, longè
Auctior eſt largo ſanguine facta palus,
Fœda tot in miſeris ſpectares funera campis,
Membraq; diſtracto corpore trunca ſuo,
Quot penetrans ædes cœlo uolitantia ſudo
Paruula Phœbeum ſemina lumen agit.
Nubes quot fluidas in cœlo pendula guttas,
Monſtra quot immenſus maxima Pontus habet.
Vnda quot ad ripam cumulis eiectat arenas,
Cùm fluuij rapidas fecerit imber aquas.
Signis turba datis merito pietatis honore
Cæſa reſorbturæ corpora mandat humo.
Sed magis Vrbanus prædis intentus auaris
Detractis ſpoliat ueſtibus iſta ſuis.
Vixq; pio (miſerùm) dignatur honore ſupremo,
Qui ſolet à fato corpora uicta ſequi.
Nec magis iſta malas tangunt tot funera mentes,
Quàm rabidum ſi quis diſſecet enſe canem.

Quis ſcelus, àh, tantum uidit mortalis, an uſquam
Maius flagitium totus hic orbis habet?
Heù, quàm ſunt hominum crudelia pectora, quantùm
Intra ſe immanis iam feritatis habent.
Non hæc in medijs faciunt animalia ſyluis
Bruta, nec inter ſe prælia tanta mouent.
Iſta quis exactè digna canat omnia uoce?
Pondere quis memoret facta cruenta leui?
Maius habent aliquid Geticis hæc crimina mõſtris,
Et Tragicis horrent aſperiora malis.
Hæc procul intereà properatis fama per oras
Vueſtphaliæ pennis ulteriusq; uolat.
Iſtius reliquæ non parua furoris & urbes
Vndiquè concipiunt ſemina dira uagi.
Perfida cũnctorum ſoluuntur corda malorum,
Plenaq; fit tanti Vueſtphalis ora mali.
Spem reprobis facit hic ſucceſſus Regis apertus,
Sed pauci metuunt his grauiora boni.
Ingens armorum patulas tinnitus ad aures
Peruenit, & gelidus concutit oſſa tremor.
Iam loca terrifragus quæ lambit amœna Viſurgis,
Mindica rura pauent, Bremica rura pauent.
Lentior Amiſiæ riget unda timore puſilli,
Ipſe ſuas pauitans Luppia tardus agit.
Alpha cruore fluens lachrymatur, candide fluctus
Non ſolito ductas agmine Lane tuos.

Horret

Horret obaudito ſibi Rhenus Marte bicornis,
Et caput horriſonis nobile condit aquis.
Oſnaburga ſuis rebus diffiſa frequenter
Diuitias properat compoſuiſſe ſuas.
Quid faciat neſcit dubijs Coſofeldia regnis,
Cùm creſcat ſumma tantus in urbe furor.
Te trahis ingenti collectis tota pauore
Rebus in anguſtum paruula Luna tuis.
Quod ſonat ipſa ferè eſt Dulmannia, ſiue profectò
Græcia, ſeu nomen Teuthonis ora facit.
Anxia ſi uellem dubitantis uota Sōſati
Carminibus poſſem commemorare meis.
Vnna timet tantos quamuis munita furores,
Excubiasq; ſalis Vuerlia diues agit.
Et nemoroſa timens horrere Tremonia ualdè
Cœpit, & à uera re ſibi nomen habet.
Contrahis ipſa tuam rugans Hammonia frontem
Candida, cui Graium nomen arena dedit.
Culta ſolo ſegetum multùm Pateborna feraci
Actutùm fruges diſtrahit ære ſuas.
Cælat quicquid habet metuens hos Lemgo tumultus,
Hæc eadem, nomen cui dedit agnus, agit.
Omnis ab Agrippa deducta Colonia Marco
Non modicè trepidans horrida monſtra timet.
Monticulæ gentes, & Marchia, Iulia diues,
Et fuit in magno Cliuia tota metu.

Luſaq;

Luſaq; deciperis turbæ Vueſſalia tantæ
Conſcia, mirificè quam noua regna mouent.
Sed quid opus referam cunctas his finibus urbes?
Quiq; ſuis ſtudijs arua propinqua colunt?
Dogma boni metuunt, quod talia bella per orbem
Immenſa populis impietate parit.
Nec ſtatus iſte tamen crudelia pectora tangit,
Tantus enim ſæuis mentibus error ineſt.

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER VIII.

HOrrida ſuſtinuit poſtquàm duo prælia uictrix
Secta ſuo gaudens robore freta ſalit.
Atque ſuas tantis ſucceſſibus ebria criſtas
Erigit, & feſtos nunc agit illa dies.
Actutùm dapibus lætans epulatur inemptis,
Laxatoq; leues ducit amore choros.

Nec ſibi magnificos dubitat ſperare triumphos,
Eſt ubi nunc aliquo res bene geſta modo.
Spiritus alme fauens animis illabere noſtris,
Quò meliùs referam carmine cuncta meo.
Vt tuba concrepuit, Rex hunc comitantibus aulæ
Ordinibus, menſam primus honore petit.
Præcedunt famuli geſtantes regia certi
Sceptra, locant pars hîc ordine quemq; ſuo.
Huc dubijs alij regalia fercula cœnis,
Atq; dapes patinis pluribus arte ferunt.
Hîc Rhenana ſuo celeberrima nomine uina,
Pars fundit fuluis iſta bibenda ſcyphis.
Dum ſua Rex plenis agitat conuiuia menſis
Indulgens genio, dum licet uſquè ſuo,
Purpureo candens humero mantile ſiniſtro
Pendet, ut hoc terſæ ſint ſine labe manus.
Reginæq; ſedent mediæ, quibus aurea fulgent
Colla, ſua tortum luce monile micat.
Intentos oculis uideas aſtare miniſtros
Fixis, ne quid agat præter honoris opus.
Ne quoties aliquid nutus ſibi poſcit herilis,
Deſint qui faciant iuſſa repente noua.
Compoſitis Regem uenerantur geſtibus omnes,
Et flexo præbent poplite cuncta uiro.
Hic bene conditas carnes præguſtat, & ille
Pocula prælibat, diſſecat iſte cibos.

Sepoſitum

Sepoſitum quoties ſibi poſtulat ore bibendum
    Vinum Rex, tollit qui dedit arte manum.
Exhilarant hominis mentem reſonantia latè
    Muſica per doctas organa tacta manus.
Accumbitq; diu poſitaq; parophſide longùm
    Cœnat,& hæc ſecùm prandia cœna trahit.
Mollibus illecebris Regem maleſuada uoluptas,
    Et penitùs merſum blanda libido tenet.
Sic prædis gaudent raptis,& fraude repertis
    Quæ fugiens ciuis liquerat antè,bonis.
His priùs optatis explentur pectora rebus,
    Luxurieq; pigra longa fouetur hyems.
Cuncta ſuis ſpoliant lignis delubra politis,
    E´que ſuo portant igne cremanda loco.
Hæc illis gelidæ ſunt apta leuamina brumæ,
    Aſper cùm Boreas frigora ſæua facit.
Mens humana mali,quod adeſt,tumet inſcia fati, „
    Quam Fors magnifico fauſta nitore fouet. „
Hæc ubi iamdudum fieri ſic cœpta geruntur,
    Inq́; dies maior creſcit in urbe furor,
Rex uidet in caſtris aliquid molirier hoſtes,
    Sed ſibi quid uellet res noua,cauſa latet.
Mox in equo luſtrans urbem ſtrepitante ſuperbus
    Conuocat huc quotquot munia magna gerunt.
Aſtant hic omnes Regi,fucata latenter „
    Qui dare uerba ſuo conſiliumq; ſolent. „

Bis ſeniq; duces, quibus urbs fuit antè per omnes
Vicos ſecta ſuos, ut regeretur, erant.
Non procul hinc aberat furioſi & cæde potentis
Vis hominum regni nobile tota genus.
Cnipperdollingus, paſtor, Rothomannus *& unà*
Qui nouus occiſo uate propheta fuit.
Illic ſacrorum ſtant omnes ritè miniſtri,
Nec minùs huc furijs plebs agitata ruit.
Conſilium Regi *cunctis de rebus habetur,*
Vt noua iam per uim ſceptra tenere queat.
De dubijs primùm ſibi cautam rebus in urbe
Indè ſuæ curam Religionis *agunt.*
Hinc decreta uiris multas ſua mittit ad urbes
Rex, quibus hæc cordi res furioſa fuit.
Muneribusq; ſuis iterum nunc inſtruit aulam
Omnibus, & populum ductitat ille rudem.
Voce tonans omnes animis audacibus implet,
Verbaq; promiſſa dat caritura fide.
Præcipit, ut cuiuis ſua ſint ſibi munia curæ
Grauiter, & ſperet maxima lucra, uiro.
Eſſe nihil poſthàc metuendum, ut ceſſerit hoſtis
Viribus exhauſtus fortè opibusq; ſuis.
Eſſe ſatis frugum, carnis, ſalis, æris in urbe,
Nec ſua iam damnis robora fracta datis.
Auxilioq; breui ſibi multos tempore cœtus
Affore cum ſuperi ui grauiore Patris.

Fortes eſſe iubet, quia res ſit ſalua, nec unquam
Hæc ueniat manibus diſcutienda pijs.
Militis intereà pars hinc dimittitur, urbis
Altera ſed preſſos obſidione tenet.
Inſtat hyems, ſæui ruit inclementia cœli,
Quæ remouere ſuo frigore bella ſolet.
Aggeribus Princeps quædam tutamina uaſtis,
In quibus hybernent ædificare iubet.
Hæc ſcrobibus conſtant diductis, tecta uireſcunt
Vimine congeſtis fortia ceſpitibus.
Area longa magis trahitur quàm lata, potenti
Angulus hanc ſtatuens mole quaternus habet.
Qualis apud ueteres uulgata fuiſſe putatur
Bellica mirificis uinea facta modis.
Quodlibet hæc tantis ſpacijs propè diſtat ab urbe,
Quanta manu miſſus ter lapis ire poteſt.
Hæc numero ſeptem ſurgunt, numeroq́; trecentos
Quodq́; uiros denſa ſub trabe fortè capit.
Hæc caſtella ſolet congeſtis nomine truncis
Apto compoſitas Teutho uocare domos. Blochen-ſer.
Perq́; locum ne quem medium uia ducat ab urbe
Alta ſuo circùm robore foſſa cauet.
Vt qui non ualeant armorum turbine uinci,
Mœnia quòd ſtabili firma fuere ſitu,
Frugibus hos ſaltem iam deficientibus almis
Omnia conſumens perderet atra fames.

Hæc ubi Rex *uidit cautus ſibi cuncta parari,*
Illicò conſilium uate monente capit.
Conuocat huc Satrapas Solymarum clara nouarum
Lumina, quæ rurſum uulgus adeſſe iubent.
An ſpectata fides ſignis explorat apertis
Rex *oculis luſtrans agmina tota ſuis.*
Et ſimul aſpectu totum priùs ordine tandem
Inuenta populum callidus arte rogat,
Huic'ne foret pectus promptum Verboq; *ſubactum*
Diuino, ut faciat quod uelit omne Deus?
An potius gelida labet huic formidine mortis
Victum, nec pœnæ tormina ferre queat?
Cui breuiter populus reſpondet in omnibus eſſe
Facturum quicquid iuſſerit uſquè Pater.
O bone Rex, *inquit, tibi nos parere neceſſe eſt*
Omnibus in rebus, nam tua turba ſumus.
Si par eſt hominem revereri comiter unum,
Præſtiterit quanto Numina *ſumma magis?*
Numquam ſana Patris *detrectans iuſſa rebellis*
Defugiam, minùs hunc crimina facta latent.
„ *Quin meditata tenens noſtri uidet omnia cordis,*
„ *Actaq; cuncta* Deo *conſpicienda patent.*
„ *Conſilijs ſuperare ſuis nec robore quiſquam*
„ *Hunc ſapiens hominum fallere nemo poteſt.*
Dixit & hinc geſtu procumbens flexit honeſto
Tota genu Domino *turba repentè ſuo.*

Magnifico præſens ſtabat cum rege propheta,
Qui, ſibì quod finxit, Numine plenus erat.
Se iacit in terram ſubitò furioſus, & haurit
Quæ Pater è cœlo facta gerenda uelit.
Exurgens manet attonitus uehementer, & omni
Cum uultu pingit pallidus ora color.
Plebs hunc ſpectat hians falcatos fuſa per arcus,
Totaq; iam uatis pendet ab ore ſui.
Per ſolidum ſilet ille diem, dum prodere quenquam
Voce ſua differt & ſibi quiſq; timet.
Fata reformidant omnes truculentia, quorſum
Euaſura, tremunt, fraus manifeſta foret.
Hanc metuunt taciti, ſed cordis lumine caßis
Tantus, ut haud fugiant, mentibus error ineſt.
In dubio uita eſt horum, ſeu iuſſa faceſſant,
Seu minùs, hoc maius ducitur eſſe nefas.
Omnibus eximio paucis ſermonibus iſtic
Exuitur gelidus Rege loquente pauor.
Nemo metu leti ueſtrum teneatur, at iſta
Omnes magnanimo pectore regna iuuent.
Nam ſua mors hominem toto certißima Mundo
Proxima, uel paulùm quemque remota manet.
Sic fatus totum ſpectando circuit agmen
Fortibus hic ſpondens præmia magna uiris.
Imperat ut claris oracula uiſa prophetes
Vocibus enodet quòd Pater ipſe uelit.

In medium tandem prodit,diuinaq́; fata
Iuſſaq́; fatidico ſancta furore canit.
O inſtauratæ,dixit,pia turba Zionis
Auribus & pronis mentibus iſta cape.
Eſt mihi mandatum de cœlo uoce ſonanti,
Verbum ſpargatur quò procul uſquè nouum.
Ergò uiri noſtras certi mittantur ad urbes,
Ne iamiam Verbo deficiente ruant.
Protinus hinc aliquot mittendos nominat idem,
Vt quos perſpicuo dixerit ore Pater.
Inter eos fuit & Cnipperdollingus ab urbe
Legandus, facti lumine cauſa caret.
Ni Bathauus regni rebus quia fortè ſecundis
Vueſtphalici metuat Chremata uimq́; uiri.
Hic ſua cum claris cauſari munia geſtis,
Vulpinisq́; poteſt ludere dicta dolis.
Aſtuta rabidos ſimulat bonus arte furores,
Vt cor,apud ſeſe non queat eſſe,ua frum.
Quanquam non opus huic aliquid confingere falſi,
Quòd mala mens ueri plena furoris erat.
Vt miſeri uictor Palamedis iturus Vlyſſes
Cùm foret ad portas Troia ſuperba tuas.
Mox reliqui parent, quos uates perdocet arte
Quà peragrent terras,tradit & æra uiris.
Vrbs ita uiginti legat ſeptemq́; prophetas,
Qui doceant fidei iura tenenda noua.

Rebus diſpoſitis & iam ſimul ire paratis
Rex his armipotens talia uerba facit.
Ite bonis uates auibus, non arguat ullus
Vos timor, in noſtris ſpes bona rebus ineſt.
Parta ſit auſpicijs prius ut uictoria fauſtis
Nemo, reor, ueſtrum neſcius eſſe poteſt.
Hic uenit è cœlo tantus fauor, iſta teneri
Munera cœleſti noſtra uidetis ope.
Num Ducis in mentem ueniunt miracula Moſis
Fortia, cùm populum duceret ille Dei?
An non is feriens inimicos robore uicit
Omnes diuino fretus ubiquè ſuos?
Quid, rogo, Nuniaden, Gedeonis & acta potentis,
Geſtaq; Pſalmographi Vatis aperta feram?
Quarè certifica ſpe plenis mentibus hanc rem
Curet, & audaci pectore quiſq; gerat.
Sparſaq; confirmet doctrinæ ſemina noſtræ,
Et facilem nobis ſternat in orbe uiam.
Nam breue poſt tempus ueſtigia ueſtra ſequemur,
Atq; probatus erit noſter in hoſte labor.
Eſt mihi nunc aliquis procerum miſſurus aperta
Non hominum paruam de Ditione manum.
Vueſtphalis ora mihi propè paret tota receptis
Baptiſmi rurſus corde uolente notis.
Vt taceam cunctis multas regionibus urbes,
Quæ comites ultrò fœderis eſſe petunt.

 Noſtra

Noſtra malas uirtus gentes ſuperabit, & hinc ſe
Subijcient dextræ fortia regna meæ.
Hos gladijs omnes iuſtis feriemus ad unum,
Qui fidei ſpernent dogmata ſancta nouæ.
Dum ſibi magnifica Mundi totius habenas
Occupet imperium cum grauitate meum.
Omnibus & uobis prouincia cedet opima,
Quam ueluti Princeps quilibet uſquè regat.
Dixerat, exultant animis plaudentibus omnes
Cùm procul hæc dubio uera futura putent.
Quin & rixantur qua quis ditione gubernet
Imperium, potius dum ſibi quiſq; petit.
Hic aliquot magno cum flore patentia latè
Finibus exoptant Gallica regna ſuis.
Non modicè penitùs diuiſa Britannia toto
Orbe placet multis inſula diues opum.
Pars ſitit iſta ſoli quas Auſonis ora feracis,
Quasq; caput Mundi Roma gubernat opes.
Sunt quibus eſt cordi raris habitata colonis,
Quam Tagus aurifluis lambit auarus aquis.
His magis in uotis, quibus acri cognita uiſu eſt
Tellus Martigenis Dacia dura uiris.
Auri fœta licet crudelibus altera Turcis
Proxima non paucis Pannonis ora placet.
Et quæ quo minus eſt frugis Saxonia tanto
Ditior eſt Verbi fertiliorq́; ſacri.

Quid

Quid referã Cattos, Bathauosq́; trucesq́; Sicãbros?
Quotquot & à Chriſto deniq́; nomen habent?
Quin ſibi magnifico Mahumetica regna triumpho
Viribus armorum ſubijcienda canunt.
Quas Europa gelu, quas Africa liuida Sole,
Quas Aſiæ Tellus diues haberet opes.
Cnipperdollingo uix ore premente cachinnos
Rex ait: his poßint qua ratione frui.
Verborum plenos rapit hos audacia, nullus
Cordibus in magnis frigidus horror erat.
Emißis noctu porta per caſtra tenendum
Quà uigiles ſentit cedere monſtrat iter.
Iuſſa ſui faciunt perfortiter omnia Regis,
Et ſimul incautos præteriere uiros.
Lux erat, hi properant loca per diuerſa, moleſtiq́;
Exagitant uerbis oppida multa ſuis.
Vueſtphalicas magnis ea turba tumultibus urbes
Concitat, & tolli crimina cuncta iubet.
Eſſe nouum regem diuina lege creatum,
In regno nequeat qui mala ferre ſuo.
Sed iubeat ſolidæ redeat pietatis alumna
Cùm Verbo credat Numinis alma fides.
Et uirtutis honos, & amandæ gratia pacis,
Legibus & cedant priſtina iura nouis.
Talibus imperium decorabitur omne, nec uſquam
Vllus erit uitijs criminibusq́; locus.

Si quis iuſtitiæ cultum præſtare recuſet,
Hic & opes Regi ſuppliciumq; dabit.
Fidere non igitur nobis dubitate futuri
Chriſtiadæ, nihil hoc uerius eſſe poteſt.
Hinc graue ſubſtratis pondus citò ueſtibus auri
Promitur, & media ponitur urbe palàm.
Cuncta iubent homines ſimul huc adferre paratos,
Quæ Fortuna ſuo fauſta fauore dedit.
Quod qui nõ faciũt hos CHRISTI *nomine dignos*
Haud reputant. Tamùm pectora fraudis habent.
At minùs apparent Regis promiſſa, quòd iſtic
Mentio dandarum pectora turbat opum.
Cæcus & hos carcer rapit omnes duriter, atra
Sanguine cuiq; ſuo culpa luenda uenit.
Cautum conſilijs initis de more Soſatum
Mox perimit gladio corpora miſſa ſuo.
Foßis firma ſuis per aquas Vuarndorpia portas
Ante ſuas parat his Marte coacta, rotam.
Hæc probat immanes primùm deluſa tumultus,
Sed minùs hoc factum dedita fraude probat.
Hanc ſibi nam Princeps metuens grauiora per unum
Damna uirum populo non renuente domat.
Dux grauis hanc uerbis terrens Raſofeldius aptis
Illicò perſuadens in ſua uota trahit.
Nam canit Heroem ditionis adeſſe potentem
Omnibus armorum uiribus atq; uiris.

Bombardas

Bombardas habuit paucas, binosq́; maniplos
Militiæ centum uix comitatus equis.
Nec procul hinc aberat pars hos dimiſſa per agros
Non contenta ſolo cedere Vueſtphalico.
Quæ ſi ſenſiſſet rectore carentia tanto
Mœnia, ceu magnis tota ruiſſet aquis.
Grande pius damnum Præſul feciſſet, & ipſa
Vrbs ſibi direptis omnibus inde bonis.
Conſulibus claues adimit regimenq́;, quòd ex his
Nonnullos furias norat amare truces.
Hîc Anabaptiſtæ non pauci regna fouebant,
Herpo mali cuius teſtis Holandus erit.
Quàre prudenter per tempus diſcutit iſtud
Omne malum, prohibet, diſſipat, arcet, agit.
Corrigit & punit quoſdam pro crimine, donec
Iſta fit urbs pulſis tota ſerena malis.
Præda fit Antiſtes Clopriſius ille furoris
Agrippine tibi conſcius horrifici.
Alter & eiuſdem reus eſt hic criminis, unà
Qui rapido pœnas igne dedêre graues.
Oſnaburga feros metuens conſulta furores
Vatum colla truci protinùs enſe ſecat.
Supplicium fugiens euaſit ab agmine ſolus
Ingenij mira Graſſius arte ſui.
Spem facit hic Sectam ſe prodere poſſe prophanam,
Et Ducis in cupidas tradere poſſe manus.

Quò fugiat mortem formas ſe uertit in omnes
Proteus, at nihil huic creditur ergò magis.
Fortè ſed hac quendam cùm Præſul haberet in urbe
Obſeſſa, ſecùm quem foris eſſe uelit,
Hunc, ait, à rigido ſi uiuum duxeris hoſte,
Incolumisq; tibi, ſaluaq; uita manet.
Nec mora conſcriptis ad caſtra Ducesq; tabellis
Tutus ut ad Regem tranſitus eſſet, abit.
Lætus iter facit, & ſecum ſub pectore uoluit,
Cauta quibus poßit fallere monſtra dolis.
Accipit ille graui cum compede uincula, paulò
Antè ſui tulerant qualia iure pedes.
Per nemus, & lamas tacitus, per ſaxa, per undas
Regia Nymbiſona limina nocte petit.
Mœnia contigerat ſibi procubitoribus ille
Placatis ſigno Principis antè dato,
Heùs, ait, exclamans fratres mihi pandite portas
Ocyùs, omnipotens huc iubet ire Deus.
Agnoſcunt hominis, quem cõſtet ab urbe profectum,
Vocem, quidq; noui noſſe reportet auent,
Illicò cùm foribus fuit intromiſſus apertis
Admoto monſtrat lumine uincla uiris.
Hæc facit hæc, inquit, nobis miracula tanta
Cœleſtis, noſtra pro pietate, Pater.
Mirantur, quæruntq; modos, quibus exiſt, ille
Aſtuta fingens omnia fraude canit.

Angelus ex alto, dixit, mihi miſſus Olympo
Nocte micans media nuncia grata tulit.
Tu repetas Regem medios Henrice per hoſtes
Miraq́; dic ſanctis fratribus iſta tuis.
Pergere ne dubitent conſtanter rebus in urbe
Inceptis, ſpargant dogmata noſtra procul.
Nam quicunq; uiros ſibi tales fecerit hoſtes,
Idem Cœlicolis ſemper & hoſtis erit.
Hæc dicens rigido uinctam ferit enſe cathenam,
Soluitur hæc, noſtros ſiſtit ab arce pedes.
Huc uenio properans, præſentem cernitis omnes
Luminibus ueſtris, res manifeſta patet.
Sic ait, & populo ſunt credita uerba furenti,
Tantùm corda grauis cæca ſtuporis habent.
Hic abit & ſtudijs Vrbana negocia tectis
Explorat, necnon expedit omne ſuum.
Chriſtophorum rediens educit nocte ſilenti,
Et ſecreta ſui Regis aperta facit.
Pollicitus uarias laturum ſcripta per urbes,
Quæ ſociæ diri fœderis antè forent.
Perfidus extorris tibi iam Vueſſalia chartis
Triſtia cum lætis nuncia multa refert.
Vna nanq; uia mittentem fallit & ipſos,
Miſſa quibus Regis ſcripta fuere, uiros.
Tam furit hæc feritas & inextricabilis error,
Vt ſibi ſublato conſtet honore nihil.

Quid

Quid memorem quanto Coſofeldia murmure mota
Vatibus his pœnas ſuppliciumq; paret?
Sic eat & quiſquis furiatis ſenſibus orbem
Compoſitum trepida ſeditione mouet.
Hoc iubet ipſe Deus, quò pax foueatur, & illa
Virtutis toto dirigat orbe decus.
Supplicio affectos cùm fama uolaſſet in urbem
Eſſe, uiri furijs infremuere malis.
Conſilium captant, quo talia facta feroces
Compenſent, flammas ſuſcitat ira ſuas.
Regia finitimas iterum mittuntur ad urbes
Scripta, rei ſummam quæ docuiſſe queant.
Rex mœſtas uultu res diſsimulante querelis
Vulgus depoſitis ut ferat iſta monet.
Surgit & hinc uates, animos ſoletur ut ægros
Fatidico plebi quo ſolet ore loqui.
Turba nouo rurſum nunc inſtaurata lauacro
Auribus iſta ſilens accipe dicta tuis.
Ipſa tenes claro Phœbi ſub lumine magna
Non ſine multiplici regna fuiſſe malo.
Nec potuiſſe Duces ſine ſanguine iura tenere,
Nulla quòd hic nequeat plebs ſine cæde regi.
Hoc tua geſta parens monſtrant Abrahame, fauenti
Cui Deus imperium cœlitùs ore dedit.
Multaq; per fortem proſtrauit millia dextram
Dauid, ut innumeros præterijſſe iuuet.

Bella uel ingemi miſer inteſtina furore
Expertus uaria ſeditione fuit.
Nunquid ab externo mala factio contigit hoſte?
Non, ſed eam ſtricto filius enſe mouet.
Filius ille patrem Solymis deturbat ademptis,
Et ui mentis inops regna paterna rapit.
Hic fugit & duro regalibus omine mœſtam
Excuſſus uitam ſedibus exul agit.
Sed tamen auxilio diuini Numinis illum
Debellans rapta fortis ab urbe fugat.
Proruit amiſſo deſerta per auia Marte,
Et putat hoc Superos poſſe latere nefas.
Curſibus at fugiens equitat dum fortè citatis,
Emicat offenſi protinùs ira Dei.
Implicat eximios arbor tenebroſa capillos
Arripiens ramis impia membra uagis.
Hæc igitur Superis certum eſt placuiſſe uerendis,
Res bene ſe præſens, fidite, prorſùs habet.
Non dubium quin ſigna ſuæ Pater omnibus iræ,
Nota Deus nobis & bene grata dabit.
Fatidici uobis referam de pectore uera,
Ille feret noſtris tempore rebus opem.
Cœlitùs oſtendet quòd ſit punire paratus,
Qui pia conſperſo ſanguine membra rigant.
Non homini ſe lux dabat amplius ulla uidendam,
Pontica tranſactum merſerat unda diem.

Agmen ab urbe ruit confuſis antè locata
Præſidia inuadens fraudibus ipſa malis.
Ingentem tacito concuſſa furore ruinam
Non ſine multorum cædibus illa trahunt.
Hic iacet occultis miles iugulatus in antris,
Qui minùs in cœtu fortè cohortis erat.
Nam ſecura graui ſtertebant corpora ſomno,
Et fuerant poto corda ſepulta mero.
Sol redit, exportant ſua mœſti funera caſtris
Pluribus, & tellus cùm capit iſta, dolent.
Dira ſed hæc grata eſt Vrbi uindicta prophanæ,
Obq; ſuum inuentum tota triumphat opus.
His ſacra perpulchris decoratur regia factis,
Quæ parilis fructus Relligionis erant.
Omne fluens tabo, uiſu horrida crebra ſub altis
Mœnibus auulſum continet haſta caput.
Inſidiæ quauis diræ ratione locantur
Septuplici uafris fraudibus uſquè choro.
Fortè iuuat quoſdam dum miſtis fallere chartis
Hîc ſuper exhauſtis tempora longa cadis,
En rapiens iſtos ludentes torquet ad umbras
Tartareas miſſus turbinis igne globus.
Nec magis apparent ueſtigia nota uirorum,
Quàm ſi finxeris hîc antè fuiſſe nihil.
Flagitijs ouat Vrbs crudelibus, atque potenti
Iam magis atq; magis flagrat ab igne Venus.

Rex

Certis mandatur uaſti cuſtodia muri,
 Ne ſtruat inſidias hoſtica turba graues.
Buculidis iuſſu præco uocat agmina, promptus
 Confluit huc faciens regia iuſſa chorus.
Rex Epulum cæſis ouibus, ſuibusq; Parenti
 Hîc fieri grates ut citò, mandat, agant.
Nec mora regifico Saliaris cœna paratur
 Luxu, ſollicitis curſibus aula crepat.
Eſt locus ad Pauli media nitidiſſimus urbe,
 Quem ſurgens uiridem graminis herba facit.
Bis duo deſertis & eo plus millia rebus
 Hunc adeunt hominum rege iubente ſimul.
Equè ſua facibus latè ſplendentibus aula
 Regia magnifico pompa colore uenit.
Fercula portantes præcedunt lauta miniſtri,
 Cymbiaq; & Bacchi plena liquore ferunt.
Hos ſequitur uaria reſonantia Muſica uoce,
 Inflatis clangor ducitur arte tubis.
Ecce manu ducens rex prodit honore decenti
 Matthiadis conſors quæ fuit antè tori.
Hunc & reginæ lepidæ comitantur, & iſtas
 Ancillæ, ſeries longior ipſa patet.
Hac in parte uiri, ſexus muliebris in illa
 Stant, regit hos natu ſic Edeatra ſuo.
Hinc in humū ſternant iubet ut ſe protinùs omnes,
 Hoc citius dicto ſed reuerenter agunt.

Regales famuli nuribusq; uiriſq; miniſtrant
Aſsidui, ut deſit re patiente nihil.
Veſcitur his epulis populus gaudensq; patentes
Hic auido pateras largiter ore bibit.
Incedunt Rex & Regina futura per agmen
Huc illuc, lateri ducit uterq; manus.
Rex monet hos fidei, quam tradidit antè, iubetq;
Sint animo Domini dona per iſta, bono.
Eſſe nihil poſthàc metuendum, talia ſummum
Suppeditaturum dictitat eſſe Patrem.
In Cererem potiùs quoq; conuertenda per ipſum
Saxa, fideles quàm deſerat ille ſuos.
Sic malus huc torquet ſacra uerba pudore remoto,
Quò mala mens tantùm corde furente trahit.
Vt compreſſa famesq; ſitisq;, dapesq; remotæ
Cum Cyathis, iuſsis murmura cuncta ſilent.
Rex tenues libi panes ſibi poſcit adusti,
Quos manibus frangit mollibus ille ſuis.
Porrigit in palmas his, & capite, inquit, edentes
Et Domini mortem dicite laude pij.
Tradunt hos alijs alij, ueſcuntur & illis,
Eſuriens ueluti ſæpe uiator agit.
Sponſa tenens auri Pateram fulgore micantem
Ordine dat toti uina bibenda choro.
Hinc Hymnus canitur, poſtquam uox alta quieſcit,
Rex omnes uerbis talibus alloquitur:

O uos Chriſtiadæ ſanctiſsima turba fideles,
Quos Deus hac duplici pauit in urbe, modo.
Cùm Pater æternus priſcæ noua regna Zionis
Iam renouans uicto ſuſcitet hoſte mihi,
Alter Ießiades ego ſum, ſponſamq́; uenuſtam
Hanc hodiè duco Patre iubente domum.
Vos ideò lætos imitari facta decebit
Hoc mea ducentes gaudia læta modo.
His dictis dat Muſa ſonos, citò coniugis aptos
Arrepta Choreas ducit & ille manu.
Hoc & idem faciunt alij, funalia lucent
Clara, ſacer latè perſtrepit uſquè locus.
Aſpiciunt oculis & mentibus iſta iuuencæ
Non æquis aliæ Taure bis octo tuæ.
Sed nihil omninò miſeræ ſermonibus audent
Hiſcere, quòd timor hoc & pudor ipſe uetet.
Aeſtuat ingenti Venus igne refuſa, uagusq́;
Tempore per turbam noctis oberrat Amor.
Sic Domini ſancto ſub CHRISTI *nomine cœnam*
Sumunt, & ſacri pocula tanta meri.
O quòd non metuant, ne terra dehiſcat apertis
Faucibus, & meritos deuoret illa ſuis.
Hic tua conſueto Deus ò clementia more
Infinita ſuo lumine tanta patet.
Miſiſti nobis promiſſum ſemen Adamo,
Quæ eſt tua, quod tollat crimina noſtra, fides.

,, *Mortuus eſt Christus pro nobis, quotquot in unum*
,, *Credimus, & noſtri nos piget antè mali.*
,, *Mandat ut hæc omnes ſeruandi fercula guſtent*
,, *Corporis, & calicem ſanguinis ille ſui.*
,, *Vita Dei donum eſt per* IESV *funera partum,*
,, *A Patre gratuitò quod datur omne pijs.*
,, *Flamine de cœlis ſic ſancto corda mouente*
,, *Noſtra, libens id quò munus habere uelint.*
,, *Nam modò per meritum fuſi nece ſanguinis agni*
,, *Gratia iuſtifica poſcitur iſta fide.*
,, *Non ſtudij noſtri, nec in ullis uiribus omne*
,, *Nec magis humanæ eſt hoc rationis opus.*
,, *Hæc igitur noſtræ ſunt pignora certa ſalutis*
,, *Perpetuæ, gratìs quam dedit ille ſuis.*
,, *Sunt rata peccati deuicti dona, perennis*
,, *Mortis, & inferni dæmonis iſta mali.*
Eheù quàm multi tamen hæc hodieq; prophanant,
Nec mouet æternæ hoc corda ſalutis iter.
Alterius negat hic partis ſine iuſsibus uſum
Diuinis, quibus haud tradita cura ſacri eſt.
Diſputat ille minùs reliquis differre ciborum,
Iſte nihil præter ſigna uidenda canit.
Sed breuibus non eſt ut abuſus conſequar omnes,
Quos propria Sathanas repperit arte malus.
Hic homo uult CHRISTO *ſapiẽtior ipſe uiderì,*
Cùm procùl à noſtra ſit ratione Deus.

Haudq;

Haudq́; capax operum diuini Numinis hæc ſit,
Abſurdumq́; Deus quod facit eſſe putet.
Sic miſeri perdunt & Adamus & Eua nepotes,
Tūc cūm pulchra duplex his Draco poma dedit.
Præ reliquis grauiore ruit his tincta furore
Nec propriæ curam Secta ſalutis agit.
Iamq́; ſua redit huc Princeps Vualdechus ab arce
Horſtmanica, uiſens quid noua caſtra gerant.
Mittitur huc mulier Iudithis ab urbe, uenuſta Iudith.
Cui comes incedens Abra reperta ſua eſt.
Dumq́; ſecare caput parat hæc Holofernis, acerbi
Imprudens facti perdidit enſe ſuum.
Vrbs dedit huic æris duodena Numiſmata, Regis
Quæ noua Buculidis ſacra moneta fuit.
Et digitis ternus torti datur annulus auri,
Plus habitura tamen, ſi uoluiſſet, erat.
Sed modò teſtificans hæc dictat Spiritus iſti,
Numine qui tenet hæc corda cruenta ſuo.
Hoſtibus hæc lachrymans finxiſſet in urbe maritū
Eſſe ſibi, cordi cui minùs iſta forent.
Sed miſerum tantos malè formidare furores,
Eſſent qui caſus cauſa futura grauis.
Supplicis in morem ſe poſcere, crimina Regis
Vt fugiat ſaluo corpore dira mali.
Sic ubi iam Præſul uitam donaſſet utriq́;,
Certa ſuo fingit ſigna dediſſe uiro.

Quò ſeſe ſtatuat ſecuro pectore tutum,
Si modò tam praua lapſus ab urbe foret.
Tale fuit ſignum, capitis ſe uelle recepit
Candida per mollem uela leuare manum.
Symbola ſed fuerant Vrbanis uera, quòd illa
Iam ſecura ſcelus tale patrare queat.
At meritò iuſtus uertit Deus omen in ipſam
Criminis omne feri non ſine cæde, Ducem.
„ Qui nocuiſſe alij cupit, hoc ſibi parturit, author
„ Conſilijq; mali deteriora capit.
Nam uafer Hermannus muris elapſus ad hoſtes
Aduerſos ciuis nocte Ramertus abit.
Sponte ſua inſidias uerbis manifeſtat apertis,
Et retegit dirum, regia facta, nefas.
Præſul ut hanc caueat blandis Iudithida dictis
Ficturam miro falſa colore monet.
Dicit & exhauſtæ quiſnam ſtatus Vrbis, in illa
Tercentum fortes circiter eſſe uiros.
Et modios denos quater eſſe Siliginis, eſſe
Hordea cum duris uix metienda fabis.
Multaq; durati cum ſalſis pondera piſcis,
Bis duodena ferè pinguia terga ſuum.
Et bubulas carnes & ouillas atq; caprinas,
Sed numero quantum dicere poſſe negat.
Cumq; cadis aliquot Butyri Bathaui Phriſijq;
Compreſſi Sphæras lactis adeſſe canit.

Ter tria plauſtra meri, ſex uaſcula pulueris atri
Sed niuei quicquam uix ſupereſſe ſalis.
Quod tamẽ inuentũ eſt ubi falſum poſtmodò captá
Vrbe, minùs caruit ſuſpitione doli.
Hic ſibi & uxori uitam cum prolibus iſto
Indicio meruit, crimine at illa crucem.
Nam citò Iudithis ſcelus hoc nec torta fatetur
Capta, nec id facinus quod patet illa negat.
Haudq; diu cæco Beuergara carcere clauſam
Arx tenet, ut tortor ius grauis huius habet.
Hanc rogat eductam quidnam nunc ſentiat, illa
Mens eadem uel adhuc iam mihi perſtat, ait.
Si queat illius mea dextera ſanguinolenti
Impia, crede mihi, frangeret oſſa uiri.
Eſt quoque nunc ut me ferias tibi nulla facultas,
Nec tuus hæc enſis colla ſecare poteſt.
Vix hæc finierat, gladio cùm lactea ceruix
Sciſſa fluens largo tota cruore madet.
Accipit hunc ſublata ſuo rota ſtipite truncum,
Pertica ſed ſparſum ſanguine longa caput.
Magna rudes fallunt homines exempla, pudendum
Noſtra refert geſtu Simius acta ſuo.
Sic uariæ totum Gentes Abrahame per orbem
Mactant exemplo pignora chara tuo.
Cùm tibi mandatum foret hoc diuinitùs, atq;
Incolumis natus manſerit ille tuus.

Quot, precor, in promptu Dauidis crimen utrunq;?
Quo ſua defendant quot Gedeonis habent.
„ Sunt ſua perſonis ueluti diſcrimina cunctis,
„ Res ita diuerſas Maximus Orbis habet.
Accidit intereà quiddam memorabile dictu,
Quod propè dira ſuo regna furore quatit.
Cùm ſolio tumidus Rex ipſe ſederet in alto
Dans rigidè populo iura colenda ſuo,
Ecce ruens lepido redimitus tempora ſerto
Cnipperdollingus Regis ad ora uenit.
Hunc ueluti Numen uotis cœleſte ſalutat
Factis, & ſolium circuit omne celer.
Sæpius hunc flexis genibus ueneratur, & optat
Rebus ut occeptis proſpera cuncta cadant.
Ridiculo uarios oſtendens corpore geſtus,
Ceu leuis à magna Ludius arte ſalit.
Non aliter, quàm cui uino madefacta meraco
Membra labant, titubat garrula lingua uiro.
Clamitat, & tota populi ſpectante corona
Sic pedibus longo tempore pulſat humum.
O mea gens, inquit, perſonæ plaudite tantæ,
Quæ ſedet in ſancto conſpicienda throno.
Sic ſoleo coram ſcortis ego ludere pulchris,
Et ſaltu lepidas exhilarare Deas.
Sed Pater omnipotens cœlo mihi lapſus ab alto
Conſpicuus uultum conſtitit ante meum.

Iſq; mihi iuſsit, quò geſticulatus apertè
Accumulem Regi gaudia tanta nouo.
Sic ait, & ſimulans ſe callidus eſſe prophetam
Corruit in ſiccam more ſupinus humum.
Erigit ut ſeſe, ſpectanti talia uulgo
Protinùs inſpirat Flamen in ora ſacrum.
Impia molitur quid non audacia? cunctas ››
Res hominum necnon ludere docta Deum? ››
Ridetur minùs ille tamen, miſer ò graue facta ››
Talia quo nolis crimina tempus erit. ››
Suſpiciens populus uafras ſtupet, acta, per artes
Quid ſibi demirans mentibus iſta uelint.
Dicta uiri ſedenim Maieſtas regia tanti,
Et noua quò tendant pectore geſta uidet.
Illicò cor gelida pauet huic formidine, regni
Perdendi multùm ſuſpitionis erat.
Quare res hominem mouit non ludicra, moxq;
Hinc abit arrepto ceu furibundus equo.
Intereà cathedram Cnipperdollingus inanem
Occupat, & populo uerba daturus, ait.
Vulge quid hæc mea facta tamen tibi mira uidentur,
Cùm nihil attentans iam niſi iuſsus agam?
Opprimit hunc rediens facientem uerba repentè
Alter, & auſcultans ſingula dicta capit.
Huc tandem frigens uerbis euadit, ut ille
Diceret iſta ſibi regna regenda dari.

Tanta rapit mentes hominum ſua dira libido
Regnandi, quæ ius frangere faſq; ſolet.
Ille Patrem claro ſibi uiſum lumine dicit
Eſſe, nec hæc dubio iuſſa tuliſſe ſono.
Heus, quidnam rerum geritur Bernharde bonarũ?
Cur tibi nulla tuæ cura ſalutis ineſt?
An ſemper uitam perages inglorius iſtam?
Quid tua ſeruitio ſic ſinis ora premi?
Si te nulla mouet coëuntis gloria regni,
Hæredes quidenim negligis ipſe tuos?
Ingenio cùm ſis præſtanti præditus, & tu
Viribus oſtentes robora tanta tuis.
Dedecus hinc famæ magnum tibi concipis, atra
Turpiter oblitus non ſine labe tui.
Quin tu plura regis quàm quiſquã corpora ſolus?
Cur non plus iuris quàm peregrinus habes?
Mens tibi magna uiget, patiens corpuſq; malorum,
Et grauis ingenii pectore cuncta geris.
Membrorum nequit eſſe tibi menſura pudori,
Corporis eſt planè regia forma tui.
Hîc quid Natales memorẽ, quid opes, quid honores?
Cùm nihil iſtorum deſit in orbe tibi?
Hæc igitur fortis mutato munere regni
Nunc, agè, perpetui ſceptra tenenda cape.
Iam tibi totius, & quos tute creaueris, orbis
Imperium tribuens ipſe perenne dabo.

Dixit,

Dixit, & in tenues procul hinc euanuit auras
Numen, & excelſi tendit ad aſtra poli.
Quarè tu rebus Rex *ô* Rex *conſule* Mundi,
Summo cede uolens & ſine lite Deo.
Cùm minùs affectus hominũ noua regna proteruos
Admittant, ratio uincat honeſta malum.
Cogor ea inuitus, Superos ego teſtor, obire
Munia, nec quàm ſint me iſta moleſta fugit.
Hei mihi, quæ cruciant pia curæ pectora, quantus
Exagitat ſemper corpora feſſa labor?
Quid grauius poßit cuiquam contingere, quàm ſi
Omnibus os famulans præbeat uſquè miſer?
Vix reliqui tantùm facit hic ſibi temporis unquam,
Cantitet ut ſumpto dona Lyæa *cibo.*
Nec uacat ut blandis operam det amoribus, ducto
Cùm mouet accenſas igne cupido faces.
Sed quid ego hæc tandem prolixè cuncta reuoluo?
Si grauis exactè Rex *meus iſta tenet?*
Namq; fidem nobis facit experientia certam, „
Et nihil hac homini notius eſſe poteſt. „
Sic ait; & ſupplex geſtu procumbit honeſto,
Quem ſeruare modum Regia *quæq; ſolet.*
Rex *licet antè pijs Superorum uiueret actis.*
Nunc tamen haud ſolito credit amore Patri.
Nam uelut impatiens Venus *eſt conſortis auara,* „
Sic ſocios nullo regna fauore ferunt. „

Huic

Huic animus ſubitò dictis perculſus acerbis
Obſtupet, ac magnus cor ferit omne dolor.
Plurima mens agitat rebus confuſa nouatis,
Membraq; ſunt tremulo debiliora metu.
Omne fluens ſalſo corpus ſudore rigatur,
Dum gelidus currit dura per oſſa timor.
Attonito premitur uox hærens faucibus, ardent
Lumina, fit rugis frons inamœna ſuis.
Os homini lingua patulum titubante, per artus
Nigraq; collecto uena cruore tumet.
Subſtitit, & toruis tandem truculentus ocellis
Irato tales edidit ore ſonos.
An'ne putas noſtram terreri nuncia mentem
Per tua? quidnam uis pſeudopropheta tibi?
Quidq; (malū) alterius tibi ſumis munus, apud me
Hic uates, hic eſt, cui ſit habenda fides.
Scilicet haud tenui quorſum tam putida uox hæc
Tenderet, è cœlis uiſus adeſſe Deus.
Eſtq; mihi certo Pater hæc ſermone locutus,
Sanctaq; non dubio lumine iuſſa tulit.
Hæc tibi nimirùm redeunt huc omnia, noſtra
Tentas aſtuto inuadere regna dolo.
Non ita per Superos fiet tibi iuro, nec ipſe
Hoc patiar, non hoc regia tota feret.
Rex ego ſum, ſolus nullo uiolandus ab hoſte
Mox, ſcelus, ut factis experiere meis.

Heus

Heùs ſtipatores rapite hunc, & compede uinctos
Stringite nodantes ad fera ligna pedes.
Eximat hinc hominem nemo, nec pabula donet,
Dum reuocet uerbis impia dicta ſuis.
Et ſi permetuunt uim partis fortè cruentam
Alterius, præſto quam ſimul eſſe putant,
Hi tamen irati parentes iuſſa faceſſunt
Regis, & arripiunt ui coëunte uirum.
Sed iuſſi properè, ne uis ea præbeat anſam
Horribilis rurſùm cædis, abire ſinunt.
Ingenium, Rex inquit, id eſt, hi quæſo ne mores
Vueſtphalici, quos hic prædicat orbis, erant?
Magnus enim candor gentis memoratur, & illam
Mordicùs hanc laudem ſe retinere putat.
Quod neq; uerba uafro fingat ueſtita colore,
Sed rudis hæc patrio lapſa ſtupore canat.
Ipſa re tamen experior quoque tempore uerum
Quod uulgò dici cuncta per arua ſolet.
Hanc magis ingenio uulpini pectoris oram
Gignere quàm ſtolidos inſipidosq; uiros.
Synceris & ut his nihil eſt ſyncerius uſquam,
In quibus eſt candor candidiusq; nihil,
His ita fucatis, nihil eſt fucatius, atque
Mente nigris, nihil his nigrius eſſe poteſt.
Fallere non dubitant per amici nomina tales
Fraudibus, arte, dolis, calliditate, ſtrophis.

Obſe-

Obſequijs proni nilnon patiuntur agendo,
Donec id optatum,quod cupiere,ferant.
Ah,mihi quàm fidus fuit ille propheta,gemendum
Matthiades fatum qui miſer antè tulit.
Ardentes dictis animos his partis acutè
Alterius placat talibus ille uafer.
Vueſtphalis ora uiris fœta eſt præſtantibus omnis,
Roboris & ſolidi corpora pulchra parit.
Ingenio plærumquè uigent,ſi ritè colantur,
Nulla ſed hoc crebro perdere cura ſolet.
A patria pueri uarias leganiur in oras,
Pauperiem ut fugiant hac ratione grauem.
Gnauiter hi reliquis famulantur Gentibus,ipſi
Dum ſine ſuppoſito cortice nare queant.
E tenui nido uolitantes tempore facti
E rudibus culti lumina clara patent.
Vueſtphala Chriſtigenum fato Gens fuſa per orbẽ
Floret,& eximij nomen honoris habet.
Pectora ſunt plebis leuis hanc ſedata per artem,
Quiſq; libèns laudes audit in orbe ſuas.
Enſifer aſtutam retinens in pectore uulpem
Aptius hoc tempus bile cadente manet.
Quarè ſubmiſſus re ſic poſcente patrati
Iam ueniam ficto criminis ore petit.
Sic ubi corpus habet minùs ut ſe rectius omne
Erigat,inflecti cogitur arte ſibi.

In gelidam, dixit, defigens lumina terram
Aduoluor genibus Rex uenerande tuis.
Ad te confugio ſupplex, afflictus, egenus,
Proſternorq́; tuos hic miſer ante pedes.
Non ſatis intellecta quidem diuina uoluntas
Eſt mihi, quid'ue Pater dicere noctè uelit.
Non mea uel ſummo contendens iure, uel æqua
Lege, nec eloquij facta tuebor ope.
Sed mea confiteor magno peccata pudore,
Et mihi, diſſimulans crimina, parce, precor.
Si ſceleris quicquam poſthàc committere pergam,
Non ego ſupplicium ferre recuſo graue.
Sic ait, & uerbis rex huic reſpondet amicis
Exoptans animum conciliare trucem.
Hoc tibi iam condono libens Bernharde, quod iſtud
Agnoſcis donum non tibi iure datum.
Porrigit hoc dicens dextram, deleret ut ipſas
Sic odij cauſas, quo furit ille, mali.
Non agitans uulnus ſapiens exaſperat altum,
Sed Medica lenis mitigat illud ope.
Alter idem faciens uitam promittit honeſtam,
Spectatiq́; ſatis poſtmodò facta uiri.
Quàm prius ille ſuos grauiùs deſæuit in hoſtes,
Et maiore ſuum pectore munus obit.
Efferus Vrbanos punit quos crimen apertum
Arguit, & nihili regia iuſſa mouent.

Huic Patre nam gladiũ mãdante propheta gerendũ
Tradidit, Enſiferum quem ſua turba uocat.
Reſtiterat paulùm rebus iam fortè gerendis
Egregius tota notus in urbe faber.
Arripit hunc manibus mandanti rege Satelles,
Et trahit ad Tiliam per fora longa ſacram,
Indictaq; iubet cauſa crudeliter illum
Iſte dari, ceù fert dira libido, neci.
Hei miſerè primùm totus contunditur, ipſa
Calcantur rigido duriter ora pede.
Hinc ubi iam nullus uibice relinquitur uſquam
Liuenti plagis nulneribusq́; locus,
Sternitur, & tremulis corpus cadit artubus, atq;
Sanguine de uenis proſiliente ſuis.
Non ſecùs ac rupto iaculatur fiſtula plumbo
Rimis plena uagas undiquè fontis aquas.
Huc ruit & populus nullis comitantibus armis,
Cui rex magnificus talia uerba facit.
Quilibet hinc diſcat, rata ſit quòd noſtra uoluntas,
Nec leue nos nomen regis habere putet.
Sic gladio incumbat quiſquis temerare ſuperbis
Auſus erit factis hæc noua iura ſuis.
Quis uerò ueſtrum dubitet diuinitùs iſto
A Patre iuſta mihi tempore regna dari?
Orbem ſi mihi pòſt totum parêre neceſſe eſt,
Cur mea plebs renuis dicta pauere leuis?

Sic ait, & tergo notam feſtinus in aulam
Verſo ſe recipit corde timente necem.
Senſit enim populi bilem ſermone ſuperbi
Motam, quòd flammis lumina ſæua micent.
Mitigat hunc ficto Cnipperdollingus amore
Regis, ut hæc melius quæ meditatur, agat.
Rex tamen obſeruans oculis uigilantibus iſtum
Omnia non audet credere fida ſatis.
Vueſtphalus à Bathauo *ſuperatur fraude doliſq́;*
Hic potitur regno quod miſer ille ſitit.
His certamen erat pugnantibus acre duobus,
Verba ſed occultam rem ſimulata tegunt.
Inſcia pars populi fuit harum maxima rerum,
Pars per tranſennam uiderat iſta leuem.
Sic fuit urbs animis diuiſa furentibus, illi
Dum partes aut huic turbida turba fouet.
Iſtaq́; tantiſper durat contentio regni,
Dum facilis rerum copia in urbe fuit.
Finit eam modò dura fames, quæ uulgus eò fert,
Quilibet ut quærat quæ ſibi uenter auet.
Difficilis parcè ſumptus datur omnibus illis,
Qui minùs eximij munera parua gerunt.
Rex ſibi quæ reſtant iubet ipſe cibaria condi
Et paucis, quos Mars poſtulat uſquè, uiris.
Sic graue fit regis compluribus iſtud auari
Imperium, florens quod nequit eſſe diu.

Deficit hoc alijs, pars iſta labore grauatur
Martis, diſplicet his turpia ferre iuga.
Deſciſcunt quidam, pars & ſibi commoda pugnæ
Exoptant aliqua tempora parte dari.
Diuiſum ſtudijs ita uulgus in urbe fremebat
Diuerſis, nulli mens ſua certa manet.
Audet nemo tamen quid ſentiat ædere, namq;
Omnia ſolliciti plena timoris erant.
Nam capitum cùm ſit multorum bellua uulgus,
Talia paulatim tempora ferre piget.
In uarias animis leuibus Gens regia Sectas
Scinditur, & culpat tædia longa moræ.
Numinis hæc cultum, pars hæc noua iura tacendo
Faſtidit multis fixa refixa modis.
Conſilium damnant & facta pudenda retractant,
Et iuga deceptos regia ferre pudet.
Pœnitet hos auſi, pars horrida crimina cœptæ
Hic odio uitæ liberioris habet.
Adde quòd inſidias quidam meditantur opacas
Regi, ſi modò res ſic ferat iſta, ſuo.
Maxima præſertim cùm pars capienda per hoſtem
Mandato Domini ceſſerat urbe ſui.
Nam ſimulàc frugum cumulos decreſcere ſentit,
Et ſibi non multùm iam ſupereſſe dapum,
Mœnibus extrudit magnum minùs utile bello
Agmen, ne rabidæ ſit mala cauſa famis.

Vnde

Vnde ſenes & anus uideas puerosq; frequentes,
Et quibus eſuries robur ademit agens.
O miſeri, quos nulla fouet ſpes certa ſalutis,
Illac Rex, iſtac hoſtica caſtra premunt.
Pars gladijs foditur, pars & captiua per agros
Protrahitur ſæuos dura per arma uirûm.
Cùm miſeros Princeps clemens monefactus abactos
Cerneret, hac ſpecie motus abire ſinit.
Incipit & triſti ſpes apparere labori,
Prælia qui tandem finiat iſta modò.
Iamq; fames magis atq; magis ſibi gliſcit in Vrbe,
Plebeios homines uulgus inopsq; premit.
In putridis craſſum culmisq; fimoq; ſubacto
Creſcit olus tenui cuilibet ante fores.
Hîc cepas acres, tunicatos tegmine bulbos
Multiplici, porrum quod uiret uſq; legunt.
In magno ſunt his precio graueolentia longè
Allia, quin quæuis gramina quiſq; uorat.
Fitq; Ceres uarijs rebus, uitijsq; fabisq;,
Quodlibet & miſeri uile legumen edunt.
Quin pro delitijs animalcula fœda per ædes
A quibus abſcedens uſus abhorret, habent.
Hic feles canibus iunctis coquit, alter alutam
Et corium, feruens quod bene mollit aqua.
Pluribus eſt uictus cœnoſi garrula ſtagni
Rana, uolans alis muſca ſonora ſuis.

Iſte uorat mures non Hannibal obſidione
Tanti Caßilios cùm trucilente premis.
Hic edit hoc, aliusq́; alia re ueſcitur, ohè
Eloquar an ſileam? mens mihi tota labat.
Pignora crudeles mactant ſibi nata parentes,
Membraq́; mordaci ſub ſale ſalua uorant.
Eſuriens teneros mater ferit impia natos,
Et laniat partus uiſcera toſta ſui,
Vrbs noua facta Zion uero ſic nomine, cuius
Teſtis opus fuerit dux Ioſephe tuum.
Hic erat aurifaber ſubtili doctus in arte
Diues, & in populo nominis antè boni.
Quattuor annorum miſero dilectus amore
Coniugibus patria ludit in æde puer.
Arripit ipſe Pater rabiem prolapſus in atram
Diſcerpens nati mollia membra ſui.
Hic cum uoce manus matri malè tendit inermes
Ridenti tantùm cùm uidet illa nefas.
Alter erat maior, cui ſunt ubi nota ſodalis
Fata ſui, tutam credidit eſſe fugam.
Accelerat caſu mentem ſtupefactus acerbo
Funeſtam inceſta linquere cæde domum.
Siccinè res agitur? dixit, uelut alter & hinc ſe
Theſſalus in celeres dans uolat ille pedes.
Inſita quò menti ceßit natura parentes?
Quo'ue trahens ueſtrum pectus Erinnys agit?

Hoc grauius quàm qui furijs rapientibus acti
 Interimunt gladio pignora chara fero.
Non ita monſtrificus magni furor Herculis arſit,
 Cùm tulit uxori & prolibus ille necem.
Non Progne, non illa ferox Medæa furenter
 Cùm pueros cædunt, horrida monſtra, ſuos.
Non Atreus coqueret ſobolis cùm membra Thyeſti
 Fratri, par ferus huic repperit ille ſcelus.
Non Scytha, nō probet hæc immania facta Gelonus,
 Nec duris inſunt talia corda Getis.
Quin uix hoc etiam quanquam rationis habetur
 Expers humanæ beſtia ſæua facit.
Tantum compellens facinus molitur & audet
 Inter mortales exitioſa fames.
Eſuriens Vrbs tota fremit cum murmure, nuncq;
 Aut pugnam rabiens aut petit ipſa dapes.
Imò palàm Regi quidam mala fata minantur,
 Hoſtibus & regnum dedere uelle ſuis.
Horridus exhauſta conſurgit in urbe tumultus,
 Fecerat audaces dura furenſq; fames.
Rege uiros per uim captos mandante trucidant
 Hic quater horrifico diriter enſe decem.
Vt foret æqualis regi, uel maior in omni
 Flagitio, nil non audet & alter agit.
Conſortem thalami fera regni facta gementem
 Enſifer ipſe ſuo perfidus enſe necat. Cnipperdollingus obtrūcat uxorem.

Duxerat hanc Anabaptiſtes iam factus, & iſtam
Legitimè tandem fecerat ille ſuam.
Namq;, ut fama refert, cum qua conſueuerat antè
Quàm fieret coniunx hæc uel amica fuit.
Dicitur iſta tamen mulier miſeranda fuiſſe
Moribus in reliquis uſq; probata ſuis.
Eſſe piam nocet, heì, miſeræ, nocet eſſe benignam.
Tantus crudeli ſæuit in urbe furor.
Rex alios partim grauiore timore fatigat,
Et partim blando mitigat ore uafer.
Ecce cano uates quæ ſunt uentura potenti
Fata ſuo, dixit, robore certa pijs.
Non aderit ſolito celebrandum tempore Paſcha,
Si modò uera fouet pectora ueſtra fides,
Quin Pater æternus nos uicto cædibus hoſte
Omnibus adferet his, fidite quæſo, malis.
Iſta metus mortis miſeris perſuadet acerbæ
Horridus, at Regis fraus rabioſa patet.
Qui cùm promiſſis non reſpondiſſe uideret
Euentus iam re deteriore ſuis,
Concluſis iacet ille locis de more ſupinus
Fata morans quònam dirigat iſta Pater.
Plebs urgente fame Regem furioſior urget,
Et promiſſa uiri clamitat eſſe nihil.
Rex magnis tandem ſtipatus ab arce cateruis
Ipſe Zionæa prodit, & iſta canit.

Veſtra

Veſtra fides minor eſt, quàm quæ mereatur habere
Quæ rata pollicitus Rex ego ueſter eram.
Nec tamen hoc falſus ſum, uos mihi credite, uates
Augurio, uanum nec fuit ominis hoc.
Nam peccata Pater placatus ueſtra ſupremus
Ingeſſit ſcapulis cuncta gerenda meis.
Suſtulit à uobis maiora pericula, quàm ſi
Det uictis fruges hoſtibus ipſe malis.
Sic ait, at populus furit omnis, & arma capeſſat
In regem, faciat ſpem niſi fortè nouam.
Collecto recipit modò robore fortis in hoſtem
Se ſuſcepturum bella cruenta ſuum.
Ver radijs Taurum ſubiens Sol fecerat, ipſa
Compoſitò inſurgens hoſtis ab urbe ruit.
Clàm ferus aggreditur ſecuros cædis acerbæ
Multa metens uafris corpora manè dolis.
Diriter in multas diſcerptus uiſcera partes
O Aquiline miſer tu Gulielme cadis.
Inuadunt alij & cætera caſtra diebus
Quà ſpem ſucceſſus resq; locusq; dabat.
Luce perit miſerè Tecborgius ille ſequenti
Nomine qui dictus Griſſius uſq; fuit.
Vir grauis & rerum pacis belliq; peritus,
Oſnaburga tuo quem paris ampla ſolo.
Acriter inſtantes fugiens euaſerat hoſtes,
Ni ſocijs cedens retrò tuliſſet opem.

Cogit equum pede, uibrat agens haſtile furenti
 Dextera, & omne ruens fortiter agmen agit.
Clamitat ut comites ſua ſeruent corpora dando
 Terga fugæ, numero uincimur, inquit, enim.
Heùs fugite ò miſeri fugite hinc in tēpore, iam uos
 Ipſe ſequar, nulla eſt ſpes ſuperare uiros.
Nam neq; iam poßunt alij ſuccurrere nobis,
 Non fuga dedecori, res ita poſcit, erit.
Non ſecùs ac iußi faciunt, pòſt ille ſecutus
 Fecit ut ingratas hoſtibus arte moras.
Prona ſed impulſus quadrupes procumbit in ora
 Duriter impingens in fera ſaxa pedes.
Infœlix hic equo medijs excußus in aruis
 Labitur, & ſubito turbine tundit humum.
Curſibus hunc hoſtes ſimul & clamore ſecuti
 Vrgent, & uellunt protinus enſe caput.
Accurrunt animis alij conſtantibus omnes,
 Securam quibus hic ſuaſerat antè fugam.
Horrida cum duris generoſi prælia miſcent
 Hoſtibus, impellit magnus ad arma dolor.
Cæſi dira Ducis iuuenes ob fata gementes
 Per uarias capiunt uulnera dantq; uices.
Ex Anabaptiſtis pereunt pars magna, ſed horum
 Victa nouem ſæuo corpora Marte iacent.
Haud tulit hoc, ſubitis ruit huc Antonius armis
 Litcharides ſtreperis concomitatus equis.

Inſequitur totos per agros palantia latè
Agmina dans multos dum ferit enſe neci.
Iamq; reducebat ſeſe cùm uiribus acta
Huic penetrant rigidum tela repente femur.
Saucius hic in equo manet imperterritus acri,
Nec cadit, at fortis caſtra relicta petit.
Sic feriæ nullæ, ſed erat labor unus utrinque,
Facta iuuat cautis fallere cauta dolis.
Nam Rex compulſus referentem pugnat in hoſtem
Par alternanti non ſine cæde, pari.
Iam proprio currens motu per ſydera Phœbus
Flammea, cum ſummo cœperat eſſe loco,
Octipedis celeri prope puncta uolumine Cancri
Attigerat primi feruidiora gradus.
Nox erat, & latè Tellus & ſylua ſilebant,
Omnia cùm ſuauis corpora ſomnus habet.
Ecce oritur monſtrum, rapiunt incendia flammis
Caſtra ſub aggeſtis horridiora caſis.
Voluitur ignis edax uento ſpirante, crepantes
Illa uomens æſtus cæca per antra furit.
Hinc picea ætherias caligine fumus in auras
Exit, & ad cœlum crebra fauilla uolat.
Illicò dant ſignum tutas per tympana certo
Qui grauis excubias ordine noctis agunt.
Excutitur ſubitò cunctis ſopor, inſcia rerum
Frigidus inuadit corda repente timor.

Tolluntur crebræ uario cum murmure uoces,
Effugiens peſtem dum ſibi quiſq; cauet.
Vt cum crabronum ſyluis ſub robur in altis
Igne cauum iacto examina paſtor agit.
E ſpecubus promunt ſua corpora protinùs illæ
In lucem, paßim conſonat omne nemus.
Hoſtis ſtans procul hinc ſtudijs inſultat apertis,
Et miro damni gaudet amore dati.
His fera ſuccendunt facibus quoque corda proterui
Accerſuntq; ſibi non ſine cæde necem.
Intereà uires Sectæ ſibi ſumit egeſtas
Ingentes rerum debilioris inops.
Subducunt ſeſe pars maxima quà licet, uſquè
Transfuga ſponte ſua repit ab urbe frequens.
Morte famem ſæua cupiunt ſibi uincere duram,
Cauſa fit hæc miſeræ mors modò ſola fugæ.
Iam demum ſeſe miſeros, ſed ſerò doloſa
Regis deluſos, prohdolor, arte uident.
„ Fœlix qui uarijs aliorum factus in orbe
„ Doctior exemplis tempus in omne ſapit.
„ Inter mortales ſapientis acuminis unus
„ Non temerè cuiquam credere neruus erit.
Heì mihi, quæ totis uideas ſpectacula campis,
Dum miſerum ſæua uulgus ab urbe uenit.
Enerues uel humi reptant, uel languida fulcro
Hîc ſua ſuſtentant corpora nixa, leui.

Nec ſtatio nec greſſus habet uim, tarda reſiſtunt
Aegraq́; uix minimo membra uigore trahunt.
Corpore pars animas fundit ſtupefacta ſoluto,
In ſabulum pars hac debilitate cadit.
Deficiunt omnes exhauſto ſanguine uires
Omnibus, oſſa ſua ſub cute dura rigent.
Pellucent aures cum naribus atq; labellis,
Longaq́; uix geſtant debile colla caput.
Sibilus eſt pro uoce leuis, ſi forte loquatur
Quis, tria non capias quid ſibi uerba uelint.
Ad ſummam, macie ſic deformatus ab atra
Non ſecùs ac uiuum quiſque cadauer erat.
Linquentes miſeri crudelia mœnia lento
Proxima nituntur tangere caſtra pede.
Supplicibus ſignis tollunt ad ſydera palmas,
Implorant tenui uoce ſequente Deum.
Quem quoq; uexarant ſalibus cum cæde frequenti
Suſpirant oculis flentibus hoſtis opem.
Quis referat gemitus, lachrymas cũ fletibus horũ,
Factaq́; tam querulis obſecro uota modis?
Deuouet hos diris cum murmure cœtus acerbo
Hoſticus, & gladijs applicat ille manus,
Irruat, & miſeros perimens proſternat ad unum,
Sint niſi qui reprimant uoce ſonante uiri.
Cùm nec iter pateat, neq; mox miſereſceret hoſtis
Auerſi retrò uoce querente gemunt.

Pecto-

Pectora concutiunt manibus, ſtupefactaq; cœlo
   Lumina ſuſtollunt corde dolente ſua.
Heù miſeros, aiunt, nos heù ludibria Regis,
   Et quibus extremam denegat hoſtis opem.
Summe Pater rerum nos ò nos reſpice, uitam
   Vel ſemel abrumpas, uel citò redde dapes.
Pars herbas auidis uoluit ſibi dentibus, almi
   Pars & radices graminis ore uorant.
Tam ſtatus eſt hominum miſer horum, crimina nãq;
   Tempore cuncta ſuo punit in orbe Deus.
Hac facie Princeps miſerorum motus, egentes
   Hac ſimul excedant è ditione iubet.
Ira cadit, tantùmq; dari ſibi poſtulat illos,
   Qui rabidæ ſoli cauſa fuere rei.
Iſtos confeſtim datur iſtinc cura quibuſdam
   Abducant, lentè ſerpit & inde chorus.
Turbaq; non aliter trahitur miſeranda per agros,
   Quàm ſi durus oues agmine paſtor agat.
Rex bonus intereà fœdos exercet amores,
   Et cædes nulla ui prohibente graues.
Hoc animi ſtudium eſt trucis execrabile, quiuis
   Talia crudelis facta Tyrannus amat.
Namq; fame quiſquis loquitur cogente puſillùm
   In maieſtatem Regis honorificam,
Hunc rapit, infernas & cæſum mittit ad umbras,
   Suſpitio pœnis non caret ipſa ſuis.

Imò

Imò leues magis ob cauſas, furioſus amandæ
Ancipiti collum coniugis enſe ferit.
Coniugis, ah, quæ ſic didicit parere marito,
Mouerit ut charo iurgia nulla uiro.
Hæc inter reliquas facie pulcherrima, necnon
Legitimi conſors hæc erat una tori.
In morem corpus tenerum ferus ille cruenti
Carnificis miſerè mente furente trahit.
Verbaq; nec deſunt facto crudelia, poſtquàm
Abſtulit huic rigido perfidus enſe caput.
Reginam poſthac quis ſcortum quæſo rebelle
Hoc, ait, indigno dicat honore meam?
Impius iſta loquens flammato corde furenter
Hoc miſerum trudens calce cadauer agit.
Obſecro quid cauſæ, quid in hunc aut criminis illa
Admiſit ſtudijs uxor honeſta ſuis?
Fama fuit miſeram ſolùm petijſſe libellum,
Qui rata coniugij ſoluere iura ſolet.
Namq; noui reputans immania crimina regni
Hac properè tutam captat ab urbe fugam.
Dixit & indignum ſibi Religione uideri
Verá, quòd miſeros enecet atra fames.
At uerò reliquos in magno uiuere luxu,
Et quibus hîc conſtet uim ſupereſſe dapum.
Pauperibus cùm nos Dominus ſuccurrere mandet
CHRISTVS, & hos ſanctũ paſcere dicat opus

Mille

Mille quod haud homines, quia capti mente furebãt.
Hæc ſapiens necnon fœmina ſana uidet.
Num nece digna uenit uox hæc, & morte pianda?
Quin magis eximia laude ferenda fuit.
Quis furor hunc hominem tantus peruaſit? apertã
Labitur in rabiem, quæ ratione caret.
Impius ut quondam præter ius faſq; Cainus
Ipſe latro fratris ſæuus Habelis erat.
Omne quis, hei, dæmon malus, hei, de pectore lumẽ
Expulit, & uirus qua dedit arte ſuum?
Hic ſua decipiens ſpargit mendacia, mentes,
Corpora ſed prauus pòſt homicida necat.
Fallor? an hæc Sathanæ ſunt facta pudẽda cruentis?
Non fallor, Sathanæ facta cruenta patent.
Pectoribus quod enim noſtris crudelius unquam
Vel facinus, uel quod crimen ineſſe poteſt?
Non furor Aſtyagis tantus crudelis habetur,
Nec rabies ſæui tanta Neronis erat.
Noſſe putas Verbi te uim cœleſtis, & illa
Ignea tela, piſs quæ iacit ille malus.
Cur non aſſumis tibi fortia Numinis arma?
Arma quibus certò uictor abire queas?
Principiò ueri ſtudio adſit baltheus, atq;
Iuſtitiæ thorax, ſint ſine felle pedes.
His addas clypeum fidei, galeamq; ſalutis,
Et gladium ſancti Faminis ancipitem.

Cur, agè, non uigilas cum ſedulitate, trementis
    Quid minùs effundis pectoris uſq; preces?
Hoc Chriſtus iubet, hoc tibi mādat Apoſtolus omnis,
    Nec minùs hoc uerus quiſq; Propheta facit.
Sed modò ferris eò, quò te corrupta furenti
    Hæc caro per crimen turbine noſtra rapit.
Quò te ſenſus agit, quò blanda libido, uoluptas
    Improba, quò fera uis nocte dieq; trahunt.
Nam genus humanum Stygius quò fallat & Orco
    Damnet agens propria Spiritus arte mouet.
Ah nimiùm nimiùm miſeris documenta dediſti
    Ciuibus ingenij Regule nota tui.
Crimina ſed non iſta uoles feciſſe nefanda,
    Cùm tua diſcerpens uiſcera tortor aget.

Motus

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER IX.

IAmq; dies aderat cladis præ-
ſaga futuræ.
Nam facies toto triſtis in
orbe fuit.
Non uſquam pluuiæ cunctas
Orientis ad oras
Vlla rubri planè ſigna coloris habent.
Conſpicuas clara faciebat lampade terras
Phœbus, & hoc totam uel ſine nube diem.
Exoritur prima tempeſtas nocte, repletq́;
Ingens uentiſono cuncta fragore loca.
Prodigiū. Per mare per terras conſpirant flamina ſæuo
Murmure, & inuoluunt nubila denſa polum.
Hinc imbres tonitruq́; ruunt cum fulgure mixtum
Fulmen, & è media quod regione cadit.
Arboris effringit ramos, ubi Rege iubente
Expendit pœnas plurima turba graues.
Fertur id ingenti cumulo per fana, per ædes,
Omnia terribilis fecit aduſta globus.
Regia non uidet hoc gens alto preſſa ſopore,
Et ſecura nimis mœnibus illa ſuis.

Hanc

Hanc ſibi ſacratam CHRISTI *præcurſor* IESV
Natalis lucem uendicat ipſe ſui.
Nox erat, Vrbanis recreabat & ipſe diurnis
Membra rigando ſopor feſſa miniſterijs.
Necdum criſtatus uigil alta ſilentia cantu
Ruperat obſeſſa Gallus in urbe ſemèl.
His qui ualla tenent ſua ſeptem condita caſtris
Vox omnis premitur, lumina nulla micant.
Alter & ad tacitam properans exercitus urbem
Fertur, & hoſtibus huc damna daturus abit.
Ceſſerat ad tempus caſtris, ſimularet ut arte
Quam modò res cogant æraq́; parua, fugam.
Omnia diſpiciens explorat ubiq; locorum,
Quonam conſcendat mœnia celſa modo.
Henſulus his dux fit modici uir corporis, & cui
Cognomen patriæ longa platea facit.
Alterius nuper partis, ſed cautus egenti
Miles ad aduerſos fugit ab urbe Duces.
Et cùm præcipuè te noſſet adire parauit
Confugiens ad opem magne Menarde tuam.
Exponens faciles capiendi mœnia cauſas
Conceptus animi detegit ille ſui.
Doctus in arte ſua, quam ſæpius antè probarat,
Spem facit hæc pauco milite poſſe capi.
Idq́; priùs totam quàm flamma uorauerit urbem
Impia, derq́; furens damna parata focis.

Z Nam

Nam dapibus planè conſumptis urere Sectam
Hos ita capturam conſtituiſſe fugam.
Sæuitiæ fatum per bella cruenta petendum
Omnibus inſtantis præpoſuiſſe famis.
Dux ea cùm cepit perpenſis rebus ad ipſum
Mox abit Heroem, narret ut iſta prior.
Suadet ut id tentet, cùm ſint diſcrimina rerum
Paruula, plus illis immineatq; mali.
Marteq; tot cecidiſſe uiros, quid obeſſe, trecentos
Si mittat, qui rem ſorte ſequente gerant.
Non, ait, hanc alijs ſpero rationibus urbem
Poſſe capi, Tantùm roboris eſſe patet.
» Sicubi rebus enim fera fortis aluta leonis
» Deficit, aſsuitur uulpis in orbe uafræ.
Aſſenſit Princeps reuolutis omnibus ægrè,
Cùm pia mens necnon huic generoſa foret.
Atq; uiro parcit, pœnamq; remittit amaram,
Quam meruit factis improbus ille ſuis.
Spemq; fouens lucri donatus munere uitæ
Promiſſos auida uerſat ab arte dolos.
Diſsimilis Graio uaria ratione Sinoni,
Te leuior Regi Zopyre fide tuo.
Sed licet ingenti uitio perſona laboret
Tota, tamen magnum diſcutit iſta malum.
„ Nam reprobos homines per prauos corrigit, atq;
„ Crimina per crimen punit in orbe Deus.

Conſcius iſte ſui ſecreta tenebat ad unguem
Regis, & exactè norat ubiq; locos.
Vtpotè qui toties luſtrauerit omnia, cuiq;
Notus in hac tota iam ſtatus urbe foret.
Factis uerba probat, curſu circundat opaco
Mœnia diſponens ordine cuncta ſuo.
Nocturnis uerſat technas erroribus omnes,
Et ſibi nota breui limite caſtra petit.
Mox quoq; ſubmiſſo ſuadet ſermone latenter,
Quæ reliquis cautè ſint facienda uiris.
Sed tamen in magno ſapientes agmine multi
Tanta uiro dubitant an ſit habenda fides.
Tempore quòd longo conuixerit hoſtibus, atq;
Facta ſuo regi ſoluere pacta uelit.
Poſſe quidem fieri, quibus hic ſe fingeret hoſtém
Perfidus, hoc illis ſummus amicus agat.
Proditor hoc etenim precij pro iure meretur,
Non ut apud quenquam ſit ſibi certa fides.
Et priùs illud idem regi promiſerat iſte,
Partibus aduerſis quod graue præſtat opus.
Tempore ſe tenebris ducturum noctis in urbem
Agmina, quæ ferro mox perimenda forent.
Vrbanisq; ſuis certiſsima ſigna daturum,
Citra diſcrimen res ubi poſſet agi.
Non ſolùm ſuadere famem ſed cogere duram
Hoc, quia iam totos occupet illa focos.

Credita res ut erat cunctis manifeſta per urbem,
Sed malè ſunt reprobo credita regna uiro.
Caſtra minùs uerbis fidunt ſimulataq; mentis
Facta malæ cauſa pro grauiore timent.
Opponunt haſtas quidam mortemq; minantes
Vix gladijs poſſunt abſtinuiße manus.
Sed magis audaces animis præſentibus uni
Aſſenſere uiro conſiliumq; probant.
Nutat in ambiguo res iſta grauißima fine,
Cùm malus hic ſemper lubricus eſſet homo.
Huncq; ſecuturum, foret ut Fortuna, uel illos
Aut hos infidum credo fuiſſe uirum.
„ Sed Deus, humanas qui res ſine fine gubernat,
„ In melius nutu uertit agenda ſuo.
Qua modò non potuit tantus labor urbe potiri,
Hanc capit aſtuta paruulus arte dolus.
„ Sic ſua ſic homines fallit ſapientia, quando
„ Ardua res miſeris expedienda uenit.
Numen id onme facit nobis ſapientius, eſſe
Ne ſua mortales talia geſta putent.
Néue ſuis miſeri confidant uiribus, & ne
Diuinum ſpernant robur in orbe uiri.
Necdum tempus erat, nec iuſta flagrauerat ira
Longanimi tanto crimine digna Dei.
„ Quin hoc nos omnes monet, ut duntaxàt in unum
„ Te duce credamus, ſpes mea CHRISTE, Patrē.

Hoc

Vaticiniū

Hoc expugnandam uates prædixerat urbem
Tempore, quo cunctis mœnia capta patent.
Ciuis Dencherus cognomine dictus auito
Hoc cecinit pœnas quando daturus erat.
Siue priùs fidei ſuæ credidit huius in urbe
Conſilia & mentem transfuga fortè ſuam,
Seu fuit hæc caſus rata coniectura, profectò
Siue uirum quoddam Numen habere putes.
Vt fuerit, minimè gladium ſenſiſſet acutum,
Occiſus miſer hunc ni foret ante diem.
Tempus erat, requies eſt cùm placidiſsima, uixdum
Lapſa per undecimum repſerat hora gradum.
Porta Crucis meritò, mala quòd nunc portet in urbē
Solis ad occaſum nomine dicta uenit.
Hanc circà minùs undarum capit alueus, ut qui
Amplior, & paulò largior eſſe queat.
Hic iaciunt in aquam uiridi cum ceſpite terram,
Haſtas cum trabibus, frondea ligna, cados.
Oblongas ſcalas, uirgulta ſaligna, coactos
Faſces, cum truncis aſſeribusq; rudes.
Proxima corripiunt & quæ citò fortè reperta
Saxa, uiris tuti quæ uice pontis erant.
Exuperant ſtagnum, moles hinc aggere factas
Obliquè, montis quæ caput inſtar habent.
Foſſas & muros magis aptos culmine, poſt hos
Non excelſa ſuo ualla ſecunda gradu.

Ingreſſiq́; ferè numero hac ratione trecenti
Omnibus explorant urbis agenda locis.
Dat ſua mox Ductor Gulielmus iuſſa latenti
Stedingus ſapiens uoce tenenda uiris.
His nota diua fuit nocturnas Anna per horas,
Die Loſs. Terra ſed alterius Teſſera partis erat.
Oppreſſos ſubita uigiles ui nocte per urbem
Confoſſi ſtricto protinùs enſe cadunt.
Porta uelint pateat cunctis ui quaſſa, ſed obſtat
Durior inductu ferrea maſſa ſuo.
Cætera confringunt aditus prohibentia totis
Viribus, & ruptis fit uia lata feris.
Cædibus ulteriùs graſſando ducitur agmen
Ad loca laudibus ò Paule dicata tuis.
Magna per anguſtos oritur contentio pontes,
Quos ibi perlabens herbifer Alpha tenet.
Prodimur hic, aiũt, malè prodimur, hoſtibus ultrò
Si ferimur certo turbine præda ſumus.
Dicite quis furor eſt, iſtuc agimur ne cruentos
Ad Lanios miſeræ, quò iugulemur, oues?
Conſilijq́; uiæq́; Duci mala fata pararent,
Hoc niſi uir placida leniat arte grauis.
Exhortans omnes Paulini candidus antè
Aedituus ſacri, ſed modò miles ait.
O ſocij quid id eſt? mihi credite uera canenti,
Occupat hic uanus corda puſilla pauor.

Anno

Annos cùm multos ego ſim uerſatus in urbe
Hac, mihi ſunt notis omnia clara locis.
Nulla poteſt nobis fieri fraus ſæua per hoſtem
Nocte, licet uarias quæritet ille uias.
Haud quaquam dubitate meo confidere cuncti
Conſilio, fidum quod feret orta dies.
Certa fides, & amans ueſtri mihi pectus, eóq;
Nemo reformidet me duce tuta ſequi.
Sic fatus pontem primus ſubit, agmina cogunt
Tota ſequi tumido fortiter ore Duces.
In ſacrum ueniunt campum, figuntq; ſilentes
Bombardas alij; & quælibet arma parant.
Hi certant authore locum Duce claudere firmo
Robore, quo ſe res hæc dabat ipſa modo.
Mox acies quaſi fit properantius agmen, & apto
Horrida cunctantes tempore bella manent.
Cum Duce conſultant taciti quibus artibus hoſtem
Fundere non danti lumina nocte uelint.
Stedingus iubet attollatur Muſica lætis
Vocibus, & ſeptem tympana pulſa ſonent.
Et quò bis tinctis animos & pectora demant,
Extollunt totidem ſplendida ſigna uiri.
Nec mora confuſam clamor gemitusq; per urbem
Excuſsis ſomnis latiùs uſquè uolant.
Concurſus fiunt trepidi uocesq; frequentes
Quæ iubeant repeti clariùs arma, ſonant.

Percipit hoc primus uigilum præfectus atrox, qui
Neſcio quo caſu defuit antè gregi.
Triſtia quis facit hæc, clamat, ſpectacula diræ
Cùm uidet ipſe ſuos occubuiſſe neci.
Excurrit totam furibundus nocte per urbem,
Et trepido reliquos excitat ore uiros.
Quid nos altus habet ſopor, heùs heùs, mœnia durus
Cædibus iſta furens poßidet hoſtis, ait.
Totáq; iam perijt miſerè cuſtodia, reſto
Excubitor ſolus qui loquar iſtud ego.
Surgite feſtini, ueſtriſq; capeßite dextris
Arma, nihil nobis proderit ara uiri.
Obſtupuere animi, ſomnoſq; repente profundos
Excutit attingens noxia corda timor.
Siccinè iam miſeri nos perdimur, omina rebus
Dij meliora, precor, quilibet uſquè canit.
Nec mora ſubſiliunt omnes, & tela requirunt,
Conſilium nec erat, res niſi nata ferat.
Egreßi arrectis auſcultant auribus, ægrè
Percipiunt uarijs murmura facta ſonis.
Amentum ſimiles curſant per mœnia, cæli
Horrida tempeſtas undiq; rebus obeſt.
Increſcit magis atq; magis clamore per urbem
Admiſto totam luctus ubiq; grauis.
Hîc domiti ſomno ſecuras regis ad aures
Fortè leuis tenues diſpulit aura ſonos.

Hor-

Horrida confuſam terrent inſomnia mentem,
Hunc urbis captæ ludit imago ſuæ.
Territus exclamat. Nunquid moriemur inulti?
O fortes ceſſant noſtra quid arma uiri?
Hac ſubitò ueri præſagum uoce ſoporem
Excutit, & propè mens obſtupefacta riget.
Corripit hoc motus non ſegniter omine corpus
Mollibus è ſtratis, mœſtaq; uerba facit.
Heì mihi, ſic miſeris tanto quæſita labore
Nec minùs effuſo regna cruore ruunt?
Heùs citò ſurge puer, citò ſurge, audire tumultum
Dura mihi uideor qui uocet arma grauem.
Hæc ait, & tremulis inducit tegmina ſuris
Ocyùs inijciens candida lina cuti.
Exuperat ſummi gradibus faſtigia tecti
Diuerſis, recipit lata feneſtra caput.
Hìc uidet inſidias uictoris protinùs hoſtis,
Vndiquè dant uoces murmura ſæua ſuas.
Attonitus ſtupet ac tectis deſcendit ab altis
Curriculò, tardum non ſinit eſſe pauor.
Sic lepus ora canum trepidus fugit horrida, talis
Dama fit auditis expauefacta lupis.
Seditio ſcelus horrendum cor mordet & angit,
Et malè conſcia mens nunc ſibi uicta tremit.
Nec mora, poſtico ſecreto fallit acerbos
Hoſtes, & quoſdam conuenit ille ſuos.

Huc illuc currit paucis comitatus, & harum
Explorat rerum quis ſtatus eſſe queat.
Hos pugnare iubet, ſe quod ſpeculetur habere,
Afferat his properam rebus ut urbis opem.
Fecerit & poſtquam quæ res iam dura requirit,
Hos ſeſe ſimulat poſtmodò uelle ſequi.
Vos, ait, attentas mea demittatis in aures
Verba uiri, lentam res negat ipſa moram.
Non lingua, neq; mœſtificis uoluenda querelis,
Nec uenit hæc uotis, ſed facienda manu.
O ſpectata ſatìs rebus mihi uiſa ſecundis
Pectora, ni ſpecies fallit amœna uiros.
Non aliena reor fore nunc, quòd noſtra ſupremi
Credite, res nutu ſalua Parentis erit.
Quarè, agitè, ò dubitate uiri minùs iſta tueri
Noſtra Zionæi regna nouata iugi.
Auxilioq; Patris uos mentes, arma, manusq;
Addite, conſilium tempus & hora dabit.
His dictis abeunt loca per diuerſa furore
Concepto cupidi cædis in urbe trucis.
Nec tam uerba ſui Domini re caſſa uidentes
Hos, ſua quàm præſens Sors mouet atra, uiros.
Rex, ubi nulla foret retinendæ uiribus urbis
Spes, latebras quærens hoſte ruente fugit.
Arripit Aegidij dictam de nomine portam,
Quam bene per uallum munijt antè ſuum.

Seu quia ſe tutum tanta confideret arce,
Seu ſibi quòd facilem cerneret inde fugam.
Intereà paßim glomerantur denſiùs, almam
Nocte ſonant Terram ſymbola nota ſuam.
Pars ruit ad portas, uacuam pars currat ad aulam,
Hunc niſi præcluſum cerneret eſſe locum.
Hinc mœſtos tremulo diſrumpit pectore queſtus
Hæc cupiens Regi nuncia ferre ſuo.
Si quod habent robur Solymorum regna nouorum
Conſule Rex lapſis rebus, amabò, tuis.
Mœnia noſter habet grauis hoſtis hiantia latè,
Noſtraq; peiori res nequit eſſe loco.
Talia nequicquàm uoluuntur uerba, uiriſq;
Vana graui mœſtis ore querela cadit.
Curſantes quærunt aditus, qua regia cæcis
Arcanos ducit tecta per alta uijs.
Maximus ante fores numerus cumulatur, aperta
Regius huc tandem prodit ab arce puer.
Dictaq; lugubri pauciſſima uoce profatur,
Rex, ait, hinc aliò ſe tulit antè celer.
Ocyùs inde ruunt quærentes undique regni
Authorem, nuſquam dicitur eſſe loci.
Corripit ira uiros, & eidem fata minantur,
Si latitans populum deſerat ille ſuum.
Hi caput obiectant glomerati nocte periclis,
Sed timidus clauſa Regulus arce latet,

Inte-

Intereà fuerat cui Pauli tradita phani
Cura prius, ſubitò regia tecta petit.
Limina firmatam quatiens irrumpit in aulam,
Rex aberat, timidus luget in arce puer.
Obtorto rapit hunc collo, uerbisq; minatur
Exempto, clamet ſi ſemel, enſe necem.
Hic lachrymis ſupplex uitam ſibi poſtulat ortis,
Militis ut ſeſe ſtrauerat ante pedes.
Ne metuas, ait iſte, mihi ſi uera referre
Cuncta uelis, per me nunc tibi uita manet.
Dic ubi Rex, ſceptrum, dic æris pondus & auri,
Dic lateat quónam fulua corona loco?
Aurea dic ubi ſint calcaria, ſæpius armos
Rex quibus antè ſui fodit agendus equi.
Trade mihi claues cellæ regalis, & urbis
Ocyùs, & cæles me rogitante nihil.
Tunc puer aſtringens palmas cum uoce profatur,
Verbaq; luctificis concinit iſta ſonis.
Etſi me lateant miſerum quàm plurima Regis
Facta, tamen fuerint quæ mihi nota feram.
Rex abijt fugiens, ſed quò ſum neſciùs, illum
In portæ tuto ſuſpicor eſſe loco.
Nulla per hunc unquàm fuit antè pecunia certè
Credita, non aurum, non magis æra mihi.
Has habitans ædes ſceptrum Regina propinquas,
Calcar utrumq;, micans & diadema tenet.

Hæc arcas ſeruat uarijs cum clauibus omnes,
Hæc tibi res Regis pandere ſola poteſt.
Hoc unum tibi præcipuè memorabo, quod ex re
Sit magis, in mentem res mihi certa uenit.
Principiò data ſunt cunctis noua nomina portis,
Indicat hæc certis ſcripta tabella notis.
In cella pendet (digitis hanc monſtrat) in iſta,
Cui noua clauſa ſuo tegmine ciſta ſubeſt.
His motus dictis, pueri miſeretur honeſti
Miles, & effugiat prælia dura monet.
Reginamq; petens obſtantia clauſtra bipenni
Frangit, & amotis eximit iſta ſeris.
Aurea ſub duris ſpolia hæc celer abdidit armis,
Et tegit hæc pando rapta ferenda ſinu.
Et claues urbis, ſimul & pendentia poſte
Scripta manu palpans lucis egena capit.
Hos ubi cum tanto ſtrepitus ea turbine ſentit
Fœmina non ſolitos corde tremente ruit.
Exilit hæc thalamo paßis furibunda capillis,
Per flatoq; feren s lumen ab igne rapit.
At clamans at, ait, noſtro ſpoliamur honore,
Fur ſcelus hoc Dominos poſſe latere putas?
Heùs, precor, auxiliũ mihi Rex, agè, ferto marite,
Raptorem necet hunc ut tua dextra uirum.
Quid furis ò mulier miles nunc ampliùs, inquit,
Nónne priora ſatis facta furoris habent?

Nemo

Nemo ubi prodit eò properansq́; cucurrerat, illi
  Cuncta puer narrat quæ priùs acta forent.
Audit ut hæc, ſtupet et lachrymis uomit ore querelas
  Fuſis mœſta ſuas corde dolente graues.
Intereà metuens hic ſe demittit in hortum,
  Quà dabat haud facilem fortè feneſtra uiam.
Ad ſocios redit & ſpolijs ſibi gaudet opimis,
  Fertq́; ſuo claues munera grata Duci.
Is ſubitò cæcas quoſdam iubet ire per umbras,
  Qui ſocijs referent limina nota uiris.
Quiq́; eadem ſtricta uigiles cum cuſpide ſeruent,
  Ne quis furciferis exitus eſſe queat.
Mandat & ille locos ſimul explorare propinquos,
  Sciret ut & quò ſe perfidus hoſtis agat.
Iuſſa libèns faciant ſi res pateretur, at ipſis
  Ad portas aditus nullus in urbe patet.
Nam poſuit plateis Cnipperdollingus in iſtis
  Præſidium ſperans poſſe tenere focos.
E turri properè Lamberti prodit in ipſum
  Parte forum qua fons iungit utrumq; locum.
Ingentemq́; manum ſubitò ſibi colligit, atq;
  Diſtribuit lectos, ordine quemq;, uiros.
Cumq́; uias hoſtis uagus explorator adiret,
  Proruit è cunctis Regia Secta locis.
Rem gladijs haſtiſq; gerunt de nocte, nec ullus
  Diſcernit color hos, ſed ſonus ore datus.

Cæduntur multi, retrahit pars utraq; greſſus,
Iſta forum, ſacros occupat illa locos.
Intereà ſomno non curis nocte ſolutus
Fœmineus ſtrepero conuenit ore chorus.
Sed tamen ut teneant Dux tuta ſilentia ſuadet,
Et melius quid agant utiliusq́; docet.
Nec mora, per muros ſibi regia turba reperto
Commento certant ludere caſtra nouo.
Fictitio riſu muliebris ab aggere ſexus
Clamitat in tardos ſcommata falſa Duces.
Quin uos ſacrifici captam properatis in urbem
Heùs reſides, ita cor ſurripit omne timor?
Cur geritis parua metuentia pectora mente?
Quid ſocijs meritam, turpe, negatis opem?
At ſi non uiuos auferte cadauera ſaltem,
Quæ latè tota ſtragibus urbe iacent.
Gaudia fucatis ſimulant ſibi cordibus omnes,
Et ſua falſiloqua carmina uoce canunt.
Hos ubi luctificos paſsim ſocia agmina cantus
Audiuêre, ſuos conſuluere Duces.
Omnibus hinc ſubitò deferbuit impetus, atq́;
Omnibus his uires corde labante tepent.
Non aliter, quàm ſi reſonanti murmure cœlum
Nubibus aggeſtis conſonet omne uagis.
Inter ſe rapido confligant turbine uenti
Eurus cum Zephyro cum Boreaq́; Notus.

Ingen-

Ingentis ſubitò ui roboris uſquè furentum
Horridus elapſis diſsipet imber aquis.
Tota cohors cædis ſociorum Authoribus unà
Irati Ducibus credita fata gemunt.
Obiectos illos cauſantur fraude periclis,
Hosq́; reos ſæuæ proditionis agunt.
Hi rigidos ſedant animos ſermonibus aptis,
Quò fera, dum tempus poſtulet, ora premant.
Inuitant celſis extantia mœnibus Vrbis
Signa uiros, properent, auxiliumq́; ferant.
Omnibus at uexilla manent ſuſpecta, ſàt illis
Auſus erat quiſquam uix adhibere fidem.
Altera iamq́; uenit pars in diſcrimina uitæ,
Dum dubitans longas pars trahit iſta moras.
Nam ſimulàc manifeſta patet præſentia tanti
Hoſtis, tota ruens Vrbs ſimul arma fremit.
Hîc uirtute nigri ſuccenſo pulueris igne
Detonat horrificis machina laxa ſonis.
Actis uiq́; globis aliquot perimuntur utrinquè,
Stedingus turmas cedere retrò iubet.
Quò ſacra defendant aciem duo phana morantem,
Illud Paule tuum eſt, hoc Iacobe tuum.
Quercus & Tiliæ tueatur ramus opacæ
Denſior, & ſpacium maius ab hoſte uacet.
Agmine proruit huc denſo fera Secta repentè,
Et ſua conſueto uerba furore canit.

Bis manibus fuſi noſtris, iiſdem perituri,
In noſtra quidenim quæritis urbe boni?
Quis furor aut quæ uos agitat dementia, tantum
Inſanæ mentis uos quis habere putet?
Actum de uita, fugiendi nulla facultas,
Pars nec opem uobis altera ferre poteſt.
Nunc, agitè, ò miſeri, ueſtræ Medicina ſalutis
Sola ratæ pactum deditionis erit.
Abiectis ueniam ſi uos modò poſcitis armis
Omnibus, hæc certæ pignora pacis erunt.
Sic aiunt, hoſtes ſic reſpondere parati
Magniloquis uno fortiter ore uiris.
Conſilio hanc omnes ideò penetrauimus urbem,
Vt uos noſtra fero perderet enſe manus.
Nam bona uos nullo rapuiſtis iure miſellis
Ciuibus inuito Principe cuncta mali.
Pro ſacris igitur fortes pugnabimus aris,
Pro noſtris fient prælia ſæua focis.
Non dedemus nos, nec pacis fœdera ſunto
Vllius, alteruter pax ea ſanguis erit.
Vix ea dicta, ruunt pars utraq; duriter haſtis,
Et gladijs geritur res furioſa feris.
Per noctis tenebras acies miſcentur in unum,
Hinc illos grauis hinc hos procul error agit.
Ingeminans Annam dum quidam clamitat, alter
En, ait, auxilium mox tibi Terra feret.

Hoc dicens ſtrictum capulo tenus impulit enſem
    Duriter in læuum corde gemente latus.
Decidit ille trahens magno ſuſpiria flatu,
    Et moriens prono pectore mordet humum.
Hoc alius poſtquam percepit fortiter auſus
    Irruit, & gladium per femur hoſtis agit.
Haud impunè feres ſcelus hoc & uerba ſuperbis
    Fuſa modis, & opem ſic tibi Terra ferat.
Labitur infœlix accepto uulnere tardus,
    Et cupit ut ſaluo poßit honore mori.
Accidit hoc multis, tantus per mille cruenta
    Graßatur ſerpens funera cæde furor.
Altera pars paucos amittit, ubiq; ſuperbi
    Et meritò Regis magna caterua cadit.
Efferus ad Mariæ ſibi fortia colligit arma
    Crechtingus, ſequitur quem ſua turba comes.
Hos monet ut ſe ui properent defendere ſumma,
    Quò palmam uicto cædibus hoſte ferant.
Vos iuſta moti cauſa pugnabitis, inquit,
    Nam ſacra uim per uim pellere iura ſinunt.
Dura uel ob nugas illi ſine pectore bellum
    Suſcipiunt animi pro leuitate ſui.
Feſtinate uiri, res præſens nulla requirit
    Verba, ſed eſt animis hîc opus intrepidis.
Ferte citi auxilium, rapite arma, repellite ſæuos
    Hoſtes, qui nobis peßima fata parant.

Dixit, & in campum mittens hæc agmina ſacrum,
Ocyùs ad portas urbis anhelus abit.
Ne timeant omnes ſocios hortatur, honeſtum
Pro regno & ſacris in ſtatione mori.
Admoniti feriunt gladijs, motuſq́; ſubindè
Igni maiores excitat ira ſuo.
Longarumq́; premunt hoſtes errore uiarum,
Inuia dum pugnans in loca turba cadunt.
Principis hinc acies de uicto ponte fugatur,
Priſca ſed his uirtus in fera corda redit.
Eripiunt hoſti loca rurſùs turbine rapta,
Ingentes ſtrages Marte fit aucta truci.
Tunc Anabaptiſtæ collectis uiribus arctos
Inuadunt cuneos ignibus atq; manu.
Pellitur ad muros acies ſtatione relicta
Stedingi, patuit quà priùs introitus.
Perfacilis Sectæ fuit hæc uictoria, uulgò
Cùm plateæ, uici, & limina nota forent.
Nec tamen immunes iſtinc à ſtrage recedunt,
Bella ſed his plus ſunt ſanguinolenta ſatis.
Deciderant animi cunctis, nullamq́; ſalutis
Inclinata ſpem ſorte per arma fouent.
Quod fuerat planè dubio procul omne futurum,
Machina ſi belli turbine rapta foret.
Dux quoſdam latitare iubet ſtratagemate miro
Vſuros, ſi ſe res malè fortè daret.

Agmina ſi grauibus bellis premerentur, ut illi
    Tympana cum læta tollere uoce queant.
Iam quaſi uiciſſet ſociorum cætera muros
    Turba, nec his dubiam tempore ferret opem.
Hic ubi palantes uidet undiquè, conuocat omnes,
    Et trepidos mira cum breuitate monet.
Quid timor inuadit iam pectora frigidus, oro?
    Quid'ue leuis mens, heì, uos muliebris agit?
Eſte uiri memores cur arma cruenta geratis,
    Poſtulat hæc animos non ſibi cauſa fugam.
Quocumquè aſpicitis prohibent obſtantia latè
    Effugium, ferro nunc uia ſola patet.
Eſt obitus dignusq; uiris & laude ferendus,
    Magnanimis qui per Martia bella uenit.
Sin uerò nobis ueniet uictoria lætis,
    Nos decus omne manet, præmia magna manent.
Hæc ubi dixiſſet, uox eſt audita triumphum
    Significans, Sectæ quæ facit ipſa metum.
Irruit & magno molimine fertur in hoſtem,
    Et ferro multos ſternit agente uiros.
Cætera quem comitans animis à morte receptis
    Hoc & idem ſimili turba furore facit.
Spargitur hoſtilis in ternas robore partes
    Diſtracto, uariæ Martis in urbe uices.
Ad ſocios currunt quidam cum uoce, moransq;
    Secùm quod Paſtor miſerat agmen agunt.

Pars properè pergit falcatos ire per arcus,
Defenduntq; forum Marte furente ſuum.
Nec mora collecti pugnam reperere cruentam,
Quæ fit in anguſtis faucibus orta fori.
Huc etenim pellens ruerat Stedingus agendo
Agmina per campum re meliore ſacrum.
Subueniunt gladijs oppreſſos antè cruentis,
Et ſæuas pugnis conſeruere manus.
Nil aliud captam fatali nocte per urbem
Spectes quàm miſera corpora cæſa nece.
Ecce ruens longè Cnipperdollingus in una
Parte fori ſæuis cædibus uſquè furit.
Arte ſuos magnus bellator decipit hoſtes
Dans ignara loci corpora multa neci.
Prouocat, inſequitũ, ferit, opprimit, arcet, et inſtat,
Ac patitur magnam ſanguinis ille ſitim.
Id comites faciunt huius non ſegniter omnes,
Et quotquot tanti cauſa fuere mali.
Intereà portæ, gelidas quæ ſpectat ad Arctos,
Effregere ſuo clauſtra furore uiri.
Magna cohors pauidam mox hac irrumpit in urbẽ,
Quæ citò munitur, ne foret anſa fugæ.
Portaq; confeſtim Solis quæ uergit in ortum
Clauibus huc miſſis à Duce tota patet.
Qua tecta reliquæ reſerantur, & ordine quæque
Clauditur inductis ocyùs agminibus.

Nec mora diſcurſu patefactis quæritat hoſtes
Poſtibus,atq; domos turbine miles agit.
Diſcernunt fidos uocis data ſigna ſodales,
Vi ſibi mox cæſo ſic iter hoſte facit.
Iam quoq; Dux ſocios Stedingus colligit omnes,
Quos tuba certatim per ſua ſigna uocat.
His animos cunctis facit hic hortatus in hoſtem,
Quoq; modo uictor iam queat eſſe monet.
Hîc demùm uideas furioſi Martis habenas
Fuſas,urbs cædes hæc niſi tota fuit.
Non procul à ſacra Lamberto pronior æde eſt
Ad Boream parua ualle iacente locus.
Vendicet hunc omnis ſibi cùm Cetarius, aptum
Piſcibus à uarijs nomen in Vrbe tenet.
Hîc lectis hoſtes inuadit Secta maniplis
Dira ſuos,cùm lux emicat orta parùm.
Huc ruit & properat totis Raſofeldius armis
Ex imo cogens agmina nota loco.
Viribus aggrediens regales cæde cateruas
Fundit,& inuerſa funditur ille uice.
Sic Anabaptiſtis latus inuadentibus hoſtis
Læuum cum dextro cæditur arcta cohors.
In turba cadit ille ſuo confoſſus ab hoſte,
Inſcius hic ſocios percutit enſe ſuos.
Pars quoq; uacillat,pars labens concidit; uda
Lubrica quòd pluuia & ſanguine ſaxa forent.

Plagarum ſonitus & murmura ſæua cadentum
Horrida ſolliciti cauſa pauoris erant.
Terga dat Vrbanus rurſùm ſuperatus ab arte,
Quilibet ut tutas quærat adire domos.
Ah quis commemoret miſeræ crudelia noctis
Funera, quis cædes, quas furor iſte facit?
Angelus exigua colitur bonus æde Michäel,
Quæ loca diſpeſcit limite ſacra foro.
Et gradibus foris hæc petitur, pulchramq́; per aulã
Præſulis, huc ingens turba fugata ruit.
Viderat ambigua Dux hos Gulielmus euntes
Luce, ruensq́; fero conficit enſe uiros.
Enſifer in campum medios quà tecta per arcus
Peruia ſunt cæcis proruit ipſe uijs.
Perſequitur, ferit, urget, agit, proſternit & hoſtes
Proſtratos Martis confodit acer ope.
Obiurgat ſocios, ueniant quia ſeriùs unà
Durus, & imbelles pertimidosq́; uocat.
Bile tumet pectus, ſua tantùm cœpta relinquit
Verba, quibus fuſis promouet ille parùm.
Nam pauidi fugiunt hoſtiles corda cohortes,
Hic uerò factis ſtragibus uſquè furit.
Sed ſimul aduerſos de cæde redire putaret,
Arripit ad ſocios per loca nota fugam.
Vndiquè fœmineus iam tendit ad æthera clamor,
Omnes ut captas mente fuiſſe putes.

Nulla ſuos primum mulier fuit ædere queſtus
Auſa, nec hic animi prodere ſigna ſui.
Aſt ubi iam ruerat res deplorata, furores
Pectora plangentes euomuere malos.
Hæc laniat comptos furiata mente capillos,
Illa ſuas auido diſsipat ungue genas.
Iſta gemēs magis atq; magis lachrymāsq; frequētes
Inuocat offenſum ſupplice uoce Patrem.
Pugnantes aliæ comitantur ſponte maritos,
Et minùs à pugna continuere manus.
Hinc multæ ſubeunt extrema pericula uitæ,
Per gladios aliquæ ſaucia membra dolent.
Omnia deturbant medios tabulata per hoſtes
Quædam, & fœminea tecta tuentur ope.
Dogmata nonnullæ trepido clamore recepta
Seriùs incuſant exitiumq; uocant.
His uerò ſtolidæ guſtata licentia uitæ,
Atq; uoluptates cauſa doloris erant.
Largiter innuptæ deflent ſua fata puellæ,
Fœda quibus dominans ſtupra libido tulit.
Aeditur & magnus puerorum fletus in urbe,
Quos grauior matrum murmure clamor agit.
Ad ſummam, uulgò totam ſine fine per urbem
Nil niſi planctus erat, nil niſi luctus erat.
Intereà turres expugnant milite factas
Hoc Duce, cui nomen longa platea dedit.

Hos non inuentis Ducibus nèq; Rege trucidant,
Nec mora conuerſos inde tulere pedes.
Obuia fit ſed & huic properanti regia turmæ
Cædibus ex uarijs iam fremebunda cohors.
Horrida terrificis commiſcent prælia pugnis,
Mutuaq́; infligunt uulnera ſæua uiri.
Sectaq́; defeßis iterum ſuccumbit in armis,
Et numerus fugiens plurimus enſe cadit.
Fuſa caterua tremens properè fugit omnis ad illum,
Herbidus in media qui uiret urbe, locum.
Hîc oritur gladijs ſtrages reſonantibus ingens,
Quà ſua Dux primus caſtra reducta tenet.
Heù quot apud modicum fatis Iacobe ſacellum
Pugnantes duris occubuere tuum?
Ah quoties mœſtos mutaſti ſanguine fluctus
Ad ripas fuſo cædibus Alpha tuas?
Ocyùs effugiens ita Sectæ magna furenti
Pars ad Ludgeri feſſa labore uenit.
Hoſtis adeſt, ferit hanc à tergo turbine, nuſquam
Non uideas miſeris corpora foſſa modis.
Deniq; per totam Martis furor undiq; noctem
Regnat, & horribilis mortis imago patet.
Iam Phœbus mœſtis ſurgebat lampade terris,
Cuius, ut eſt uiſum, debile lumen erat.
Horrendas ueluti neget has Sol cernere cædes,
Quas facit humanum bellua ſæua genus.

Iam Sectæ fallax ubi Fors Fortuna receſſit,
Vitant effugio bella cruenta ſuo.
Sic inclinatis diffiſi rebus & armis
Senſim uictori terga dedere Duci.
Ad ſpoliata bonis concurrunt phana per urbem,
Et ſeſe tutos hac ratione putant.
Sæua ſed in medijs peraguntur prælia templis,
Nam ſacra non magni miles ut arma facit.
Multa priùs fumis altaria læta Sabæis
Horrida iam Martis Thura ferocis habent.
Hei mihi, quàm laceras multi perimuntur ad aras,
Quæ fluuijs fuſi ſanguinis uſquè madent.
Hinc fugiunt pauci, multis caput abſtrahit enſis,
Pars foditur gladijs, hos teres haſta petit.
Illos, quò minus hinc abeant, ſua uulnera tardant,
Hi ſimulant mortem ſemineceſq; iacent.
„ *Emicat hæc ingens propter peccata, grauesq́;*
„ *Offenſi pœnas exigit ira Dei.*
Quæ reliqua eſt Sectæ recipit ſe turba per urbem
In medium iam ſpe deficiente forum.
Clauditur, & multis ſepitur rebus, & horas
Plus ſex hoc iaculis hi tenuere ſuis.
Die Vuagenburg. *Occupat hîc aditus miram fabricata per artem*
Machina conſiſtens quattuor alta rotis.
Hæc denſis longo riget ordine nexa cathenis,
Quas nequeat pulſus ui penetrare globus.

Has

Has neq; perfringant præfixo haſtilia ferro,
Sint licet hæc ualida turbine torta manu.
Non eques abrumpat, ſed ſe magis implicet, ut nec
Triſtibus è circis exitus eſſe queat.
Arces Germani uulgata uoce curules
Artifices uera pro ratione uocant.
Fama fuit Regem cunctis educere portis
Hanc hoſtes contra conſtituiſſe ſuos.
Sed ſatis eſt ſceleris, plus & ſatis imò ſuperq;, "
Tantaq; puniri crimina tempus erat. "
Igneus ut ſummum Titan propè contigit orbem,
Impetus huc uim ui uaſtus agente ruit.
Et loca quæ rapuit grauis expugnantur ab omni
Parte, nec hæc tutans Secta tenere poteſt.
Spes abit, effugiunt, medias irrumpit in ædes
Hoſtis, & hæc latè corpora cæde metit.
Omnia turbantur, facieſq; miſerrima rerum
Apparet, mortis nil niſi terror adeſt.
Corpora dant magnos gemitus pereuntia, latè
Fit ſonus, in terram dum ſimul arma cadunt.
Templa, uias, ædes uideas hac cæde referta,
Hæc peperit tantùm turbida Secta malum.
Hos ubi mente calens extinxerat hoſtis ad unum,
Iamq; uagum paßim uulgus in urbe iacet,
Rex ubinam lateat quærunt diruſq; Senatus,
Quos Princeps uiuos iußerat antè capi.

Hinc

Hinc latebras omnes retegunt, multosq; repertos
 Nominis ignoti protinùs enſe necant.
Captiuos ſeruant aliquot ſapienter, auitæ
 Qui celebrem titulum Nobilitatis habent.
Aegidij expugnant hinc uaſto turbine portam,
 Quæ uice munitæ fortiter arcis erat.
Inueniunt Regem crudelia fata trementem,
 Huc etenim magno fugerat antè metu.
Vt uidet irrumpens in morem turbinis agmen
 Fuſiùs in turrim, talia uerba facit.
Magnifici corpus Regis magniq; Prophetæ
 Audeat hîc manibus tangere nemo ſuis.
Si quis id indignum facinus tentabit, ad umbras
 Diuino hunc adigam fulmine Tartareas.
Irrident hominem, neq; uerba minantia magnum
 Militis in rigido pectore pondus habent.
Ocyùs hoc, aiunt, priùs experiamur oportet
 Quid Martis noſter poßit in arte labor.
Nam quod erit noſtri faciemus muneris, iſtud
 Quod præſtare uales exere fortis opus.
Eripiens leto manibus te ſubtrahe noſtris,
 Si potes, & lædas nos, agè, tute miſer.
His dictis omnes ſimul iniecere furenter
 Huic uetitas nullo iam prohibente manus.
Aurea detrahitur ſubitò ceruice cathena
 Regia, dum punctim cætera turba perit.

Capti-

Captiuumq; trahunt ad amœnam Præſulis Aulam,
Cui grauiter dura compede crura ligant.
Quæruntur reliqui noctesq; diesq; per ædes
Vndiquè, qui caput huic omne fuêre rei.
In primis uerò Cnipperdollingus, in urbe
Qui latuit cœco tecta per antra loco.
Spes cùm nulla foret ſuperandi uiribus hoſtes,
Per loca molitur ſubruta nocte fugam.
Haſta conatur poſita tranſire per undas,
Sed timet ignauum mortis obire genus,
Arent tota uiro de cæde calentia, necnon
Magna de uarijs curſibus ora ſiti.
Procumbit nitens, & tegmine uerticis undam
Excipit, hanc auido protinùs ore bibit.
Hæc ubi facta, tacens ſecùm deliberat, hoſtes
An petat, an tutum quærat in urbe locum.
Hæc alternanti uariè quàm plurima, tandem
Eſt potior ratio pectore uiſa uiro.
Haud procul à muris uiles conſcendit in ædes,
Quà ſibi Martinus templa propinqua tenet.
Feſſaq; ſupponit cumulato ſtramine membra,
Et calamis corpus contegit omne ſuum.
Sed nihil humanas proſunt inuenta per artes, „
Cùm matura Dei cœlitùs ira ruit. „
Fortè per ambiguam noctu muliercula lucem
Viderat hunc quædam, cui bene notus erat.

Fœmi-

Fœmina militibus gladijsq; minisq; coacta
Indicat hunc eadem corde tremente Ducem.
Concurrunt omnes auido pede, tectaq; nudant,
Inuentumq; trahunt dura per arma uirum.
Iungitur his modico Crechtingus honore ſacerdos
Ex paſtore uorax factus in urbe Lupus.
Nam licet euincas uatum commenta priorum
Falſa, tamen nihil hoc uerius eſſe poteſt.
Fata ſimul uario triſtes ſermone, uicesq;
Mœſta per alternas tædia uoce leuant.
Et uerbis hominis ſcelus execrantur acerbis,
Vrbis qui captæ perfidus author erat.
Flagrat felle dolor ſub amaris cordibus atro,
Exoptantq; uirum iam ſibi mente dari.
Tundant, dilacerent, fodiant, ſparſumq; per auras
Aetherias perdant corpus & ora truces.
Talia nequicquàm meditantur, auentq;, putantq;,
Vota quòd à facto ſera uenire ſolent.
Spem ſimulant uultu præſenti cominùs hoſte,
Sed tenet ima premens triſtia corda dolor.
Rex uerbis fictos fictis ſolatur amicos,
Et mulcet dictis pectora mœſta bonis.
Inſignes pietate uiri hæc tolerate, fugabit
Hæc mala commutans qui regit aſtra, Pater.
Talia ſunt etenim magnorum fata uirorum,
Namq; bibenda mero fex & amara ſubeſt.

Nos licet hac omnes noſtra moriamur in urbe,
Non tamen hoc ſceptrum, nec diadema ruet.
Criminibus fateor me longo tempore multis
Iram ueriloqui commeruiſſe Dei,
Sed Pater omnipotens merito non motus inani
Aeternum nobis hoc dedit Imperium.
Nõ metus, haud quiſquã magnis pia regna ſuperbus
Euertet rapiens uiribus iſta ſuis.
Dixit, & aſtantum quidam fremuere fauentes,
Sed timor his gelidus comprimit ora uiris.
Præſulis hi iuſſu ſeruantur carcere, longo
Tempore, dum diſcat Regis operta noui.
Cunctaq; conquirat diri penetralia Sceptri,
Dignaq; ſit tantis pœna reperta malis.
Etſi mors minùs eſt Rothomanni nota, tumultu
In turba tamen hunc interijſſe putant.
Nobilitas cum plebe iacet, diſcrimina planè
Nulla ſuo certans Mars ferus enſe facit.
Agricolæ iuſſi uenientes ſparſa per urbem
Sanguinea tumulant corpora uicta nece.
Plus minus hîc auidæ ui cædis utrinquè uirorum
Millia uiginti diſperijſſe ferunt.
Tantùm falſa mali tantùm doctrina furoris
Excitat, & fuco decipit uncta ſuo.
Intereà latè uolitans it fama per urbes,
Obruta quæ magno regna labore canit.

Grataq;

Grataq; diuerſis ingrataq; nuncia portat
Omnibus illa bonis, omnibus illa malis.
Pars hominum gaudent, pars mentis lumine capta
Tortilis ex animo perfida corda dolent.
Hæc ubi magnifico uictoria parta triumpho
Proſtrato meritis enſibus hoſte fuit,
Irruit huc illuc prædis intentus opimis
Miles, & ut magnas colligat, ardet, opes.
Vndiquè quæritat æs ſtudioſè, quæritat aurum,
Et rumpit loculos, exuuiasq; rapit.
Ardua couſurgunt furioſis murmura latè
Vocibus, omnia ſunt unus in urbe ſonor.
Exoriturq; grauis ſubitæ contentio litis,
Dum ſibi quiſq; rapit ui quod & enſe poteſt.
Militiæ clara reprimuntur uoce Magiſtri,
Qui ne ius faciant præter ubiquè monet.
Præſto, Duces, animus pro uobis fundere uitam,
Aiunt, ſi modò res ipſa tuliſſet, erat.
Fortiter & noſtrum caput obiectauimus hoſti
Vnanimes ueſtro nocte dieq; uiri.
Obſecro nequicquàm quis nos tot adire labores
Poſtulet, & nobis munera nulla ferat?
Omnia per Superos debentur militibus, quæ
Martis ſunt tanto parta labore grauis.
Ille ſub hæc iterùm ſpolia omnia rapta per enſem,
Et ſua militibus dona manere canit.

Vix

Vix tamen ingentes uarijs ſermonibus iras
Temperat, ut ceſſent iurgia tanta parùm.
Non aliter quàm cùm timidarum luſtra ferarum
Excutiunt auido naris odore canes.
Euolat hinc faciens uarios molimine gyros,
Longaq́; procurrens præda per arua fugit.
Turba canum celeri ſequitur ueſtigia curſu
Illius, & tandem quod petit illa tenet.
Subtrahit his raptum Venator flagra minatus,
Cornibus ut curuis ſigna repentè dedit.
Oraq́; iam uili latrantia munere placans
Fruſta feræ Cereris tincta cruore iacit.
Sic res Martis habet ſe, certa pericula uiles „
Exercent animas, præmia pauca manent. „
Mandat ut hæc ſubitò compacta ferantur in unum,
Quò det cuiq; ſuum diſtribuatq́; uiro.
Colligitur præter iuſſum Ducis undiquè raptis
His inhians auidè magna corona bonis.
Quin alius ſubitò trepida cum uoce tumultus
Exoritur, cædis qui propè cauſa fuit.
Fortè uident hominem, qui noctu ceperat urbem,
Cœtibus admiſtum clara per arma ſuis.
Eſſe nefas clamant omnes hunc uiuere, cùm ſit
Proditor, atq; fidem negligat ipſe ſuam.
Quiquè ſuos ſæuo ſocios obiecerit hoſti
Perfidus incautos fraudibus antè malis.

Indignumq́; choro generoſi militis illum
Tota fero diris deuouet ore cohors.
Confodiantq́; uirum, niſi dux uetet arduus ipſos,
Et ſibi conſuleret protinùs ille fuga.
Acceptis ſpolijs uarias ruit Orbis in oras
Miles, & his uulgò pectora læta facit.
Nanq; mero, Nymphis, & ludo, parta labore
Magno dilapidat tempore cuncta breui.
Et iam tempus erat, quo Sirius arua calenti
Torrida deſiccat lumine ſtella ſuo,
Cùm rigido longi feſſus certamine belli
In morbum Princeps incidit ipſe grauem.
De uita Medicus malè ſentit, robora rurſus
Sed ſua poſt paucos huic rediere dies.
Corporis eximij eſt, perſonaq́; regia, quales
Tempora magnificos priſca tulere uiros.
Francisci principis γνώμην. Prodijt inſigni Franciſcus ſtirpe creatus,
Omnibus & claræ gemis origo patet.
Ducta per tot auos toto quid in orbe potentes
Vualdecha poßit notius eſſe domo?
Sydera ceù Phœbus, longè ſic Principis huius
Natales ſuperat mens generoſa ſuos.
Totius decus eſt & lumen ſtemmatis, ut qui
Res tam præclaras geſſerit ipſe ſuas.
Maius laudis opus quod & hic ſtudioſus honeſtæ
Virtutis fautor, crimina nulla probet.

Amplius

Amplius, hoc quòd non pietatis amantius ullum
Temporis ingenium Vueſtphalis ora fouet.
Quò feror? hæc aliud tempusq́; locumq́; requirunt,
Non huius laudes pagina parua capit.
En aliud, cùm nil ſolum ſit in orbe malorum,
Dira graui multos peſte uenena necant.
Aura locum corrupta rapit ſpirabilis, huius
Seu ſtrages cauſam ſeu graue ſydus habet.
Siue fuit, quod & ipſe reor, contagio priſcæ,
Quæ tenuit ſæuo caſtra furore, luis.
Sic pereunt belli quibus hîc Fortuna pepercit,
Et quos Mars uiuos liquerat, ignis edit.
Præſidium duro concuſſa Marte frequentis
Militis ad tempus Præſul in Vrbe locat.
Temporis intereà captiuis triſtibus arcta
Vincula pro tanto crimine colla premunt.
Hi uincti plauſtris aliquot ducuntur ad urbes,
Quo fit ut hîc facies regia nota foret.
Arx eſt Vueſtphalidos terræ uicinior urbi,
Quæ trahit à ſtolido nomen inane uiro. Haus dulman.
Agrippina frequens erat hîc legatio, furtim
Scire petens ſocij ſicubi Regis agant.
Buculides uarijs de rebus ab hiſce rogatus
Illudens proceres ſcommata ſalſa iacit.
Tam graue cur Domino bellum mouiſſet? an, inquit,
Hoc facio? potiùs quìm mouet ille mihi.

Cur tot & uxores ſibi conſociaſſet? & ipſum
  Ieſsiadem plures his habuiſſe liquet.
Cur & item uictu ſibi prouidiſſet, acerba
  Cùm conſtet populum ſic periſſe fame?
Tam ſtolidum uulgus manet ignarumq́; futuri,
  Vt ſemel hæc auidè cuncta uoraret, ait.
Aſt ego comparſi uates mihi mente ſagaci
  Præſcius, hæc, longam temporis eſſe moram.
Nec minùs à multis uero non abſona fertur
  Vulgò ridiculi fabula plena ioci.
Magnifica dum Rex ſolus ſpaciatur in aula,
  Nec tamen omninò corpore liber erat,
Pulchra ſubornatur quæ captet fœmina Regis
  Corda mouens uiridi mollia fronte boni.
Magna tenet Nympham lepidæ fiducia formæ,
  Qua ſibi comprimis ſexus hic uſque placet.
Mox inſtructa dolis uario ſub pectore uafris,
  Et ſimul acceptæ conſcia fraudis abit.
Ingreditur ſimulans quaſi conſoletur ut ægrum
  Pectus, & hoc dictis mulceat illa ſuis.
Lætaq́; per tenues rimas hos audit & ambos
  Nobilitas ridens proſpicit ante fores.
Hæc aditus captat molles & idonea quærit
  Verba, ſuis ficta non ſine mente dolis,
Viſaq́; paulatim formoſæ lumina Nymphæ
  Ornatuq́; uirum uoxq́; ſonora mouent.

Blanda

Blanda leui miſcet cum riſu uerba uiciſſim,
Inq́; ſinus cupidas inſerit ille manus.
Suauia figuntur coniunctis uda labellis,
Quæ manifeſta grauis ſigna furoris habent.
Spem capit obſcœni facti, uaga lumina flammis
Conflagrant, auidum corq́; libido rapit.
Inijcit & cupidos in eburnea colla lacertos,
Nec differt tardis gaudia uana moris.
Illa parùm renuens uelut admiſſura, ruenti
Vlteriùs caſto corpore dura negat.
Adferri ſibi uim magnis clamoribus ædit,
Et lachrymis fictis uoceq́; poſcit opem.
Ocyùs irrumpunt & amaro pectore certant
Inſultare uiro, pluribus idq́; modis.
Sicci'ne Rex aiunt, ſubitò tibi ſicci'ne tantus
Spiritus eſt mollis factus amore caro?
Quid faciat? nequit hæc res tam manifeſta negari,
Nec rapido condi tegmine clara poteſt.
Non magis erubuit, quàm ſus quæ pabula roſtro
Rapta, licet clament turba, pateme ferat.
Vix pudor ardentes hominis deiecit ocellos
Effrenes, uultus, qui fuit antè, manet.
Verba uiri produnt animi non ſigna pudentis,
Certaq́; perfrictæ ſymbola frontis habent.
Prætexens tamen huic ita fingit honeſta furori,
Se tentaſſe quidem rem nimiùs ipſe negat.

Sed uoluiſſe magis certum feciſſe periclum,
Fœmina num caſti pectoris iſta foret.
Atria tolluntur miri per amœna cachinni,
Ludere captiuum dum ſine fine iuuat.
Si minus hunc aliquis dignetur nomine Regis
Magnifico, flammas exerit ira ſuas.
" *Tantus in humano dominandi pectore natus*
" *Sæua mouens miſeris prælia bullit amor.*
Quem tamen admonitum per ſacri ſemina Verbi
Pœnitet admiſſi criminis inde grauis.
Namq; ſuam tandem meditans agnoſcere culpam
Cœpit, & hoc mentis lumine noſſe nefas.
Delictisq; nihil pergit prætexere factis,
Totaq; cum gemitu mens pauefacta labat.
Exacti quoties meminit per tempora regni,
Fœmineas toties cor leuis angit amor.
Comprimisq; ſuam reginam, fulminis uxor
Quæ fuit occiſi turbine uatis, amat.
Cumq; ſit iſtius gratiſſima mentio, tota
Triſtia largifluo lumina fronte rigat.
Hic generoſe tuam finis Carcringe ſcorſim
Vitam, quà cæca ſyluula ualle uiret.
Huc, puto, te uera captum pietate bonis cum
Traxerunt alijs Secta pudenda uiris.
Authores iſtinc ſceleris referuntur ad urbem
Curribus, hos carcer, quem meruere, capit.

Forte

Fortè ſit affectus quá nam Rex morte requiras,
Ac duo luctificum qui peperere malum.
Iam loca decliuis ſuperauerat infima metæ
Sol repetens olidi cornua dura Capri,
Cùm Rex è tenebris, Cnipperdollingus & unà
Paſtor aguntur, eò plebe ruente, foràs.
Luridus obducit ſua mœſtis tempora pallor,
Nec facies ſimilis permanet ulla ſui.
Horrent immiſſæ per triſtia pectora barbæ,
Deformat lapſo ſquallor honore uiros.
Tota ferè miſeri ſimul agmina circumſpectant,
Dum retinent uinctas poſt ſua terga manus.
Sed ſubitò moxdax oculos ſubmittere cogit
Criminis & pœnæ conſcia corda pudor.
Hos leniè comitans in longa ueſte Sacerdos
Admonet, ut CHRISTI iã meminiſſe uelint.
Vincit, ait, delicta Dei bonitas'ue fauor'ue
Omnia, ſi uerè cor metanœa mouet.
Spe caret hoc ueniæ modò, lux uelut orbis IESVS
Adſerit, in ſanctum Pneuma quod uſquè furit.
Si tibi per CHRISTVM ſtatuas peccata remitti
Tanta fide, mortis uictor es ipſe trucis.
Victor es & ſæui iam Dæmonis, atra nec in te
Horrifici quicquam Tartara iuris habent.
Gratia criminibus diuina potentior, orbi ,,
Quã cruce dat meritũ CHRISTE benigne tuũ. ,,

Inuitas gratis omnes ad munus, & ulnis
Obuius ambabus cuilibet ipſe pates.
At ferus & barba ſquallens ferroq; ſuperbus
Hos trahit, & toruus lumina tortor agit.
Iudex à Scriba perlectis antè Tabellis
Hos peragit propter geſta cruenta reos.
Quare tres certis condemnans legibus iſtos
Tanta canit dira crimina digna nece.
Sic miſeris plauſtro ſtantes cruciatibus hauſti
Dant ſceleris pœnas, grandis in urbe, ſui.
Forcipe tracta gemunt candenti corpora, toto
Aediderant in quo facta pudenda foro.
Hic quoties refugum contingitur igne rubenti
Corpus, ſibilat & ſtridet aduſta cutis.
Nec ſecùs ebullit cruor aſſa carne, recoctum
Quàm ferrum gelidæ quod faber indit aquæ.
Euolat hinc denſus cingens caligine tecta,
Ardua qui cœli ſcandit ad aſtra uapor.
Sic affecta ſua diſtortaq; corpora pœna
Altius apricis expoſuere locis.
Continet hæc ferrum penitùs per ſaxa coactum,
Quà fora Lamberti turris ad ipſa patet.
Vertice Rex ſocios medius ſupereminet, Vrbis
Dux loca dextra nouæ læuaq; paſtor habet.
Hunc tandem capiunt immania crimina finem,
Iſtaq; ſors motæ ſeditionis erit.

At miſeræ ne malis animæ crucientur acerbis,
An ſecùs, omnipotens nouerit iſta Deus.
Cnipperdollingi generoſa propago furores,
Fatales tota luget in urbe ſui.
Eſt tamen iuuentus fera cui ſpectacula mortis
Grata forent miris illius iſta modis.
O nimiùm nimiùm fœlices ambo parentes,
Hunc rata quos mœſtum mors tulit ante diem.
Hæc cecinit genitrix uates prænuncia fati,
Ad mala cùm natum cerneret acta trahi.
Hunc ea nequicquàm fuit execrata furorem,
Arguit & mores ſæpius antè feros.
Hei mihi, quos gemitus imo de pectore mater
Duceret, in ſuperis ſi modò uiua foret.
Orba gemens quantos non optans uiuere queſtus
Aederet, & quantis ora rigaret aquis?
Carperet admiſſo quantus dolor oſſa pudore,
Huc quoties oculos flecteret ægra ſuos?
Id faciunt geminæ cum non fœlice ſorores
Filiola, quibus, hei, contegit ora pudor.
Atque uiri luſæ uerbis uxorq; ſocruſq;
Hoc agerent, aliud ni ſua fata ferant.
Quarè pœna comes ſequitur commiſſa malorum,
Dignaq; flagitium præmia grande capit.
Nam Deus hunc iudex punit peccata per orbem
Cuncta, nec hæc cùm ſit iuſtus inulta ſinit.

Hoc exempla docent, docet experientia, nullum
Quod grauibus pœnis hîc uacet eſſe nefas.
Fœlices nec erunt authores criminis unquam,
Sed magis ante diem cum feritate cadent.
Nec uiolenta ualent longum durare per æuum,
Stareq́; nec poſſunt talia regna diu.
Iam bona Summates repetunt ſimul antè relicta,
Turbaq́; cum magno Relligioſa choro.
Excuſſam gaudent peſtem ui funditùs, ut quæ
Omnibus exitium ſalua perenne foret.
Veſtra ſupina Deo ſcdenim ſocordia læſo,
Culpaq́; neglecti muneris iſta parit.
Hæc ſunt officij monitus certiſſima ueſtri
Signa, quibus cunctos excitat uſquè Deus.
Sic pater errantis caſtigat inutile nati
Verberibus factum, quæ tamen igne cremat.
Diſcite fas moniti poſthàc cœleſte, coliq́;
Qua Deus à nobis Relligione uelit.
Cernite nunc oculis Eccleſia ſancta retectis
Quid ſit, & hanc ueſtra promoueatis ope.
Huc redeunt quicunq; fugæ ſe credere ciues
Auſi, cum furor hac tantus in urbe foret.
Sacra uident bona cum cunctis periſſe prophanis
Obruta per rabidos & noua regna, uiros.
Hîc redimunt ædes certis & ſquallida ſummis
Prædia, iure priùs quæ tenuere ſuo.

Omnibus

Omnibus imponit ſoluenda tributa quotannis
Antiſtes, ſumptus ut ſibi ferre queat.
Reddita mandanti mox Principe ſceptra capeſſunt
Haud dubia ſapiens conſul uterq; manu.
Iura Trauelmannus populo repetenda reducit
Conradus, patria rector in urbe pius.
Rebus Apollonius ſimili collega reuerſis
Cura deuicto conſulit hoſte bonus.
Hinc ſtatus exhauſtæ ſenſim componitur urbis,
Et ſua muneribus priſtina forma redit.
Omnia congeſtis inſtaurant diruta ſaxis
Templa prius multùm molibus alta ſuis.
Multaq; more uiris redeunt facienda priori
Indignaturo cauſa futura Deo.
Mœnia terrificis reparant agitata ruinis,
Dum feriens rapido turbine miles agit.
Vis eſt pulſa, redit Legum ſapientia, ceu ſi
Nubibus elapſis lux tibi grata micet.
Officium faciunt cum ſedulitate reſumptùm
Quiſq; ſuum, ſerò nos mala noſtra docent.
Hæc precor ut multos Reſpublica floreat annos,
Stetq; immota diu Legibus alta ſuis.
Quò uigeat uirtus magnis cum laudibus omnis,
Et Deus accepto poßit honore coli.

MOTVS

MOTVS MONASTERIENSIS LIBER X.

ECCE quid hæc Anabaptiſtῶν fera Secta per orbem
Terrarum remouens optima quæq; facit?
Hæc Euangelion CHRISTI cum iactet IESV,
Non Euangelico digna colore gerit.
Contemptrix Superûm uacat iſta pudore, nec ullam
Se penitùs Legem ſtulta tenere putat.
Secta Anabaptiſtica non conſtat ſibi doctrina.
Eſt modò diuerſos monſtroſa Chimæra per artus,
Eſt modò confuſum lucis egensq; Chaos.
Omnia commiſcet uarij diſcrimina Mundi,
Cui tamen omne ſuum ſuggerit ordo decus.
„ Vtilius nihil eſt humanis ordine rebus,
„ Et nihil hoc quicquam pulchrius eſſe poteſt.
Non eadem ſentit, nec eodem dogmate conſtat,
Sed uarias ſpecies error acerbus habet.
Nam ſemel à uero poſtquam ſententia ceſſit,
Hæc ſubitò Sectas diſſona mille parit.

Hinc

Hinc odium, lites, conuitia, iurgia, pugnæ,
Et motus quales Vueſtphalis ora tulit.
Omnia quæ noſtros capiunt dulcedine ſenſus
Quærit, & in primis quod placet illa fouet.
His uitijs cæcas prætendit Numinis umbras,
Seq́; pia tangi Relligione canit.
Sed minus afflicti quærunt ſolamina cordis,
Reddere quod morſu crimina triſte ſolent.
In ſcelus omne ruunt pecuino more furentes,
Senſibus ut capti dedoluere ſuis.
Cura Dei ſancto neq; tangit pectora motu,
Quin ſtupidæ mentis lumine caſſa furunt.
Impia peſtiferæ renouant qui dogmata cauſæ,
Hos gula, blanda Venus, laus & inanis agit.
Improba crimen habet Siren, damnoſa uoluptas,
Venter habet crimen, gloria crimen habet.
Hinc cur magnorum cupiant ſibi nomina Regum,
Nota per euentus cauſa fit atra ſuos.
Nam breuis humani licet hic ſit terminus æui, „
Mira tamen regni corda Cupido rapit. „
Trans mare, trãs Rhenũ, trãs altas curritur Alpes,
Vt referant fructus ſemina dira ſuos.
Hi loca non miſsi penetrant procul omnia, primùm
Priuatas ſubeunt abſq; pudore domos.
Inſinuant blandis ita ſe ſermonibus antè
Quàm capiant animos retibus hiſce rudes.

ἀπηλγηκό-τες.

Finis Sectæ conſcientię cura poſtpoſita indulgere omnis generis cupiditatibus.

Chriſtiadæ

Chriſtiadæ fugiant cautis quò mentibus horum
Complectar uarium carmine dogma breui.
Pars dominum quamuis Chriſtum fateatur IESVM,
Fons doctrinæ Anabaptiſticæ. Pars tamen hunc uerè pernegat eſſe Deum.
Naturaq; hominem natum, quo cætera more
Hæc generis noſtri tota propago fluit.
Eſſe Deum ſtatuunt alij, ſed corpore carnem
Humanam ſumpto ſuſtinuiſſe negant.
At Diam mentem tenuis quaſi fauce canalis
Per Mariæ corpus uirginis iſſe ferunt.
Non ſecùs ac quondam blaſphemi Numen in ipſum
Impietas Perſæ ſenſerat illa Manis.
Omnia quis referat, precor, hæc abſurda pudore
Quæ poſito planè Secta pudenda docet?
Qui propiùs deforme uolet cognoſcere monſtrum,
In lucem, legat hic, quos dedit articulos.
Diluit humanæ ſcelus omne propaginis, ipſe
Quo pater, hei, ſobolem perdis Adame tuam.
Quod fuit æternæ uis mortis, cauſa, poteſtas,
Primaq; materies omnis in orbe mali.
Hinc illæ lachrymæ, ruat hoc cur turba furore,
Mens ubi radices egerit atra ſuas.
Filius ille Dei per ſanctum Flamen IESVS
E Maria uerus uirgine natus homo eſt.
Hoſtia pro noſtro patiatur ut una reatu
Factus, & humanum liberet ipſe genus.

Teſtifican

Teſtificantibus huic diuina uoce Prophetis
Omnibus, à nobis prorſus habenda fides.
Orcus ut hinc, dæmon, Mahumetica Secta, uetusq́;
Hinc Synagoga furens dentibus uſquè fremat.
Hinc licet hæreticus ſe rumpat acumine quiuis,
Damnatusq́; ſua mente furenter agat.
Arte mala totum ſeduxerat Arrius orbem,
Victor & exceptis ipſe duobus erat,
Nil tamen hinc præter pœnas tulit, atq; ſuum qui
A pelago nomen uile Britannus habet.
Quid memorem reliquas bene noto nomine ſectas?
Ille ſui cæcus quas modò ducit amor?
Nuſquam proficiunt ita qui ſacra Verba probanant,
Promouet iſta graui Secta labore nihil.
Nam uitrea eſt hominum planè ſapientia, nullum «
Rebus in æternis debet habere locum. «
Hoc grauis Hebræi conſulta mente Magiſtri
Conſilium prudens Gamalielis habet.
Sed Domini firmo ſuperans ſibi robore Verbum »
Omnia perpetuò flore uigente manet. »
Ah tua iuſſa meas hæc turba pij ſimulatrix
Delitias nihili CHRISTE *colende facit.*
Suauia ſectantur carniq́; placentia, uerùm
Hæc retrahente Deo prorſus acerba ferunt.
Omnibus impietas uitijs obnoxia, ſemper
Talia monſtra, pios quò malè ludat, alit.

Offendunt

Offendunt animos hominum furioſa bonorum
Dantia dogmatibus ſcandala magna ſacris.
Obſunt diuino Verbo. *Hoc eſt cur ueræ iam Relligionis amando*
Numine neglecto cultus in orbe iacet.
Nonne miniſterium Verbi ruit omne gerendi,
Eſſe quod in magno mandat honore Deus?
Hæc ubi legitimè fuerit commiſſa miniſtro,
Haud dubiè multum functio iuris habet.
Clauibus à CHRISTO *porrectis claudere cœlum*
Cuilibet, & Verbi ui reſerare poteſt.
Adſerit ille pias ſoluens à crimine mentes,
Vera ſui ſceleris quas Metanœa coquit.
Ille reos lapſus omnes quoq; damnat Adami,
Quos Euangelij gratia nulla fouet.
Nam Deus omnipotens ſummi moderator Olympi
Quod facit hic Verbi iure, probare ſolet.
Quid? quòd ab inſanis ritus abolentur honeſti,
Noſtra quibus nunquam uita carere poteſt?
Tantaq; peruerſi uenit inde licentia uulgi,
Vt fremitu rumpat uincula cuncta ſuo.
Excutiens frenum plebs libera fertur habenis
Laxis, & facinus quodlibet illa facit.
Odit enim magnæ ſtudium uirtutis, ob iſtud
Qui magis excellunt nomen, in orbe iacent.
Quo magis inſipiens quiſq; eſt, hoc pluris habetur
A populo, ſi ſit garrulus uſquè, rudi.

Quin & quo quis agit uitam ſceleratius, hoc plus,
Si modò res homini ſuppetat, ille placet.
Hoc ſanctum pietatis, & hoc uirtutis honeſtum „
Nunc omnes uulgò nomen inane putant. „
Fit uitium uirtus inuerſo lumine mentis, „
Grataq́; plus ueræ crimina laudis habent. „
Falſa ferunt homines æquis ut mentibus, atrum „
Sic odium cunctis dicere uera parit. „
Stultus habet quæcunq; placent paraſitus ubiq;
Accipiens plena quæ cupit ille manu.
Arripit hic animos titillans nomine dictum,
Quo uaga præſtringens lumina plebis agit.
Sic ſpecie miſeros homines id ineſcat honeſta,
Hæc quod agens longè peßima Secta docet.
Omnia commiſtis cupidè communia rebus
Eſſe ſua cunctis utilitate canit.
Quò reliquis uitæ magnorum faſce laborum
Obtruſo ſtertens ocia ſemper agat.
Omnibus ut curis careat ſecura moleſtis,
Nullaq́; ſit uentris ſollicitudo Dei.
Per fas perq́; nefas ſimul omnia uerrit auara,
Et quærit lautæ pabula grata gulæ.
Velleris ornatu niuei lupus horrida tandem
Irruit in mites ora cruentus oues.
In bona mox manibus prudens aliena recuruis
Inuolat, & magno cuncta furore rapit.

Omnia habent inter ſe communia.

Exagitans homines Stygia phanaticus iſtos
Arte modis cæcos omnibus error agit.
Dixerit hic aliquis, ſequimur nos facta piorum,
Qui bona ſub medium cuncta tulere ſua.
An'ne palàm quiuis hoc fecit Apoſtolus olim
Sanctus, quæſo quid hæc tam manifeſta negas?
Haua nego uera quidem, ſed ſis quòd Apoſtolus, iſtud
Pernego, remq; tuum lumine prodit opus.
Non ita ſanxerunt hanc rem tibi legibus ullis,
Libera ſed certi temporis illa fuit.
Nec mandata quidem fuerint exempla, quòd illa
Perſonæ uariant, tempus & illa regat.
Cæſareo proprium quod cuiq; eſt Iure recepto
Hoc Scriptura Deo ſacra iubente probat.
Dogmatis hæc falſi ſerpunt contagia latè,
Quod Stygijs homines mergere pergit aquis.
Hoc ſolet humanis imponere mentibus ohè,
Fronte micans quando ſplendidiore nitet.
Primores fucus deceperat iſte parentes,
Cùm Ratio facili falſa colore fuit.
Hoc Sathanas uirus miſeris afflauerat, ipſo
E ſerpente loquens quæ ſpecioſa forent.
Sic miſeros rapiens in tot diſcrimina ciues
Artibus adduxit Secta cruenta malis.
Perpetuum negat hæc ignem, pœnaſq; malorum,
Hæc æterna pijs gaudia danda negat.

Parū piè de reſurrectione & uita æterna ſentiūt

Omnis

Omnis homo mendax, tu credito firmus IESV ,,
CHRISTO, quòd ueri fons Deus ipſe manet. ,,
Impia condemnat flamma ſibi corda perenni, ,,
Longaq́ nec tantum finiet hora malum. ,,
Perpetis alma ſuis promittit lumina uitæ, ,,
Qui fidei plenum fertilis uber habent. ,,
HVNC *audire uirum manifeſta uoce iubemur* ,,
Demiſſa ſummo cælitùs axe, patris. ,,
Huic quoq; præcipimur nos uni credere, nunquam ,,
Grandius, huic quàm non fidere, crimen erit. ,,
Oſtendens in nos quæ ſit diuina uoluntas ,,
Liberat humanum non ſine morte genus. ,,
Hi uerò nihil eſſe palàm ſacra ſemina Verbi
Externi, ſedenim mente furente docent.
Quòd ſanctus nobis cœlo deſcendat ab alto
Spiritus, & mentes dirigat ille pias.
Hunc ſe doctorem nactos cœleſtia iurant
Numina, ſic faciant ut ſibi monſtra fidem.
Omnia fallaci fundunt mendacia fuco,
Illaq; ſub CHRISTI *nomine tecta premunt.*
Flaminis ætherij non huc uis labitur antè
Quàm tua ſint nobis credita iuſſa Deus.
Semper enim debent diuino pectora Verbo
Noſtra, nec humana pro Ratione regi.
Indita naturæ ſacra pectore Iura repellunt,
Et quod mens dictat ſubruit os & opus.

Nam ſua coniugibus connubia ſancta ligatis
Hi ſoluunt poſito diſſociata iugo.
Vxores alij mixtim debere proteruo
Pectore communes, ut libet, eſſe uolunt.
Ducere quotquot ames fas iſte docere laborat,
Prægnanti ſubitò ſurrogat ille nouas.
Mens mala quod cupidis furioſè ſuggerit, audent
Attentare, furor tantus ineſſe ſolet.
Polluit alterius ſanctum uaga Secta cubile,
Auſaq; uirgineos eſt maculare thoros.
Captans naturæ uitio corrupta furenti
Pectora mirifico uerba colore facit.
Donec eò facili muliebrem tegmine ſexum
Ducat, & in Naſſam pertrahat illa ſuam.
Si ſtimulans tepidas intùs flagrare medullas
Improbus accenſo corde Cupido facit,
Mox hoc quæ placeat petitur cũ murmure, carnem
Iſte tuam cupiens Spiritus optat, agè.
Quiſquis mente ſapis, quiſnam ſit ſpiritus ille
Qui patret iſta furens crimina tute, uides.
Quin Venus hìc inceſta furit, quod turpe relatu eſt,
Quodq; pudet ſanos commemorare uiros.
Sed referenda tamen, fugiens quò crimina fera
Pectore poſteritas horreat iſta ſuo.
Mens melior brutis aliquando negantibus acri
Bile ſui furias ſanguinis horrificas.

Sis memor hiſtoriæ, cum pullo matris equino,
Quam uel Ariſtotelis pagina docta refert.
Vulgò interdictos minùs exhorrere iugales
Hæc thalamos magno monſtra furore ferunt.
Nullus honos, nulla eſt reuerentia ſanguinis iſtic,
Si modò luminibus forma uenuſta placet.
Pulchra ſui fratris Germana fit uxor, ut olim
Principio cùm res cogeret ipſa, fuit.
Hic genitrix nato fit coniunx, filia patri
Iungitur, ut creſcat ſic pietatis amor.
Fitq; ſuæ matri pellex ſcortumq; paternum,
Et ſoror eſt nati, pròh pudor, iſta ſui.
Quod ſcelus hoc maius poſſet ſermone referri?
Tale nefas Geticis rebus ineſſe putas?
Hæc faciunt quos dira ſibi Cocytia raptat
Et raptos Stygia potat Erinnys aqua.
Vix hæc conſpicias Gentilibus acta prophanis,
Non uetus iſta Sophi dogma Platonis habet.
Qui quamuis fingens communia cuncta beatæ
Vrbis, quæ nuſquam cernitur eſſe, canat,
Non tamen iſta uiri eſt mens & ſententia docti,
Si propiùs ſpectes quid uelit ille ſibi.
Diſſerit in partem propè ſemper utramq; diſertus
Oſtentans linguæ flumina larga ſuæ.
Sic alibi magno tibi laudat honore Poëtas,
Hos alibi ficta prorſùs ab urbe fugat.

Hinc ſalſè ridens ſicut ſolet omnia, ſolum
Hanc illum quidam Graius habere putat.
Nec ſi ſentiat hoc, liceat ſic uiuere, quando
Nos aliud longè dogma fouere decet.
Sed tua nequicquam conſumas uerba, uel omnes
Humanæ ſenſus ſi Rationis agas.
Hæc natura uetat, prohibet lex aſpera Moſis,
Noſtraq; nec pietas, nec Deus ipſe probat.
Hoc diuina nefas horrent, humanaq; tantum,
Et ruit in uetitum gens furioſa ſcelus.
Inuadunt magiſtratus & regna. Omnibus hi cupiunt dominari gentibus, & ſe
Conantur reges conſtituiſſe graues.
Prætexunt uoto diuinum Numen auaro,
Et ſeſe miſſos cœlitùs eſſe canunt.
Neſcio quis mentem miſeris Deus abſtulit, atquè
Exagitat furijs impia corda ſuis.
Aut ſua Medeæ miſcentes pharmaca diræ
Artibus incantant carminibusq; uiros.
Aut malus in tantos Labyrinthos ſpiritus iſtos
Abripit, & ſaxi more ruentis agit.
Excuſſi ſana ſibi mente feruntur, & omnis
Dant uitijs generis libera frena malis.
Ex odio ueri uenit excæcatio, certos
Hic rabidæ fructus Impietatis habes.
Si tu falſa uoles præponere dogmata ueris,
Talia confuſus præmia mente feres.

Nam Deus hic ſeſe manifeſta uindicat ira,
Quando ſui tales Numinis error agit.
Omnibus eſſe ſacri repetendos fontis honores
Mente docent dubia, re magis idq́; probant.
Quò ſibi concilient homines, multosq́; ſuperbi
Ad ſua diſcipulos dogmata dira trahant.
Nomen & in cunctas ualeant extendere terras,
Sic ſua titillat gloria falſa uiros.
Cùm ſibi non præſtent claræ uirtutis honores,
Se uitijs properant nobilitare ſuis.
Sic Epheſi cupiens famæ bonus ille perennis
Inflammat templum Magna Diana tuum.
Non modò non dubitant crudo dare corpora leto,
Atq; ſuas tepida tingere cæde manus,
Sed linguis percuſſa feros quæ ſemiat ictus
Mens eſt, & pauitans mille flagella ſubit.
Nam geminum miſeris infert ea factio bellum,
Corpus, & hinc animum perdit auara pium.
Sic Anabaptiſtæ uiuo ſe flumine rurſum,
Hoc eſt humani ſanguinis amne lauant.
Mortis & hi gaudent aliorum turbine, cuius
Vltimus haud ullo tempore finis erit.
Hei mihi, quò miſeros agit ignorantia ueri,
Quandò minùs CHRISTI pectore dogma fouet.
Is iubet ut Verbo diuinitùs hiſce profuſo
Seruandus ſacris quiſq; lauetur aquis.

Rebaptizãt homines, unde & nomen habent.

Heroſtratus.

Temporis unius nec erit baptiſma, ſed illud
Cùm ſemel eſt habitum, tempus in omne manet.
Hinc ſatis eſt uitam nos ſuſcepiſſe per omnem
Huius aquæ noſtram balnea ſancta ſemel.
Sed quid opus multa ratione refellere dogma?
Cùm ſua nil moueat talia corda Salus?
Omnia corruptus quæ ſenſus poſtulat, illa
Sectantur, necnon, quod caro poſcit, opus.
Maxima peruerſæ patet hinc uæſania Sectæ,
Quòd ſacra iam natis iſta lauachra negat.
Denegãt infanti-bus bapti ſmum.
At pueri, dicunt, fidei ueſtigia nulla,
Quæ facit ut cœlum poßideamus, habent.
Non decet ætatem luſtrali fonte lauari
Iſtam, quòd careat cum ratione, fide.
Quodq́; capax CHRISTI doctrinæ non ſit IESV
Infans, nec ſanctam nunc ſibi poſcat aquam.
Quid tua te miſerum uexat ſapientia, quidq́;
Dementat ſenſus cœca Minerua tuos?
Mollia Iudæi maribus præputia cædunt
Omnibus, ut populi nomen habere queant.
An minus amplexu fouet hos Eccleſia ſacro?
Quos pia gens uotis obtulit antè Deo?
Ad ſe Seruator iubet hos accedere CHRISTVS
Attribuens regnum talibus ille ſuum.
Nam potis eſt animis Deus his infundere ſancto
Flamine ſecretam pectus agente fidem.

Quid? quòd & è medio ciuilia tollere iura
Non pudet hos, ſani quid fore quæſo putes?
Conſilio Recutita ſuo Deus auſpice Moſe
Sub grauiore premit corpora dura iugo.
Res nec apud cunctas maiori publica gentes
In precio, Romæ quàm grauis illa fuit.
Nec uerò propius Rationis ſenſibus unquam
Auſonijs quicquam legibus eſſe poteſt.
Maxime ſiue domi Cæſar, ſeu uiuis in armis
Admiror leges Iuſtiniane tuas.
Aegyptus rerum, quia ſemper alumna Sophorum,
Tantarum Græcis ſemina prima dedit.
Italiæ Graij, Romana potentia nobis
Culta grauis populi tota nitore ſui.
Hæc faciunt ut pax pietatis alumna colatur,
Et ſedant omnis bella referta mali.
Iuraq; res hominum meliùs per ſcripta geruntur,
Quàm bonus arbitrio ſi uir agente regat.
Cuncta, quibus motis ſumunt ſibi crimina uires,
Quæ reproba terras ſeditione replent.
Omnia plena malis, uariaq; libidine, poſtquàm
Iuſtitiæ nullum nomina pondus habent.
Laude nihil dignum gignit uiolata poteſtas
Legum, res hominum quæ retinere ſolet.
Vincula laxantur uitijs regnantibus illa
Excuſſa, uirtus non habet ulla locum.

Diſſoluũt politias leges & iura Cæſarea uſu recepta abijciunt.

Et tantam labens ſecum trahit illa ruinam
Rerum, uix ut eam reſtituiſſe queas.
Hinc neq; ſecuri proceres magniq; Monarchæ
Per freta per terras, ſeditionis agunt.
Non Cæſar, neq; rex, neq; tutus conſul in urbe,
Non alius ruptis legibus eſſe poteſt.
Nam grauis omnia Mars cõfundit in orbe, nec uſquã
Perfugium miſeris hoc dominante patet.
Excitat ingenti ſpe pectora dura, malosq;
Soluit, & in mutes concitat arma Lares.
Mox ubi diſrupit tranquillæ fœdera uitæ
Certa, ferox miſcens omnia miles agit.
Hinc cædes facit & ſtrages furialiter, atq;
Subtrahit inuentas inſatiatus opes.
Iam neq; tuta domus, neq; res, neq; magna ſupellex
Eſſe, nec omne pecus, nec tibi uita poteſt.
Iam nequit educi caſta cum coniuge proles
Ad frugem ſolita ſedulitate bonam.
Nullaq; multarum uideas ſpectacula rerum,
Quæ fieri patrio gaudia more ſolent.
Non reſonant lepidis ſponſalia grata puellis,
Nec regitur numeris læta chorea ſuis.
Aſt oblata magis uictrice libidine fœda
Virginibus magno ſtupra furore uigent.
Vxor & hic uulgò fit adultera rapta marito,
Coniugijs caſtis nullus habetur honos.

Quin ſacra Relligio, uirtus & honeſta per orbem
   Cùm uitium regnet turpiter omne, iacet.
Nullus adeſt cultus diuini Numinis, omnes
   Exploſi ritus cum pietate ſacri.
Nullaq; fert nobis animæ doctrina ſalutem,
   Sed mors in Stygias nos fera mergit aquas.
Omnia Muſarum pereunt inſignia, nemo
   Deditus ingenuis artibus eſſe poteſt. Abolent Scholas, artes & omnē externā morum diſciplinā.
Hic ſileat conuicta recens Academia uero,
   Nec ſibi, quæ ſenſu ſunt manifeſta, neget.
Non animos fallat teneris Agrippa puellis
   Ipſe choro durus Calliopeia tuo.
Nam numeris, mihi crede, ſuis Reſp. conſtat,
   Cùm bene de ludo docta Iuuenta uenit.
Acribus eloquium ſermonibus ille diſertum Eloquētiā
   Exhibet efficiens robore cuncta ſuo.
Larga graui fluitans oratio turbine, magnis
   Hoſtica quod nequeunt uiribus arma, facit.
Dat Schola priſcorū linguas quoq; docta Sophorum,
   Vis quibus & rerum cognitionis ineſt.
Hinc'ne uenit quiſquis ſapienti mente gubernat
   Humanum toto ſemper in orbe genus?
Nonne Magiſtratus ſummi Regesq; Ducesq;?
   Hinc aulæ totum pendet ubiquè decus?
Quin præſes, iudex, conſul, ſanctusq; Senatus,
   Et quotquot iußi munia tanta gerunt.

Hinc omnis uirtus generis pulcherrima prodit,
Quæ facit ad mores tradita ritè bonos.
Iuris prudentia & legum dignitas.
Inde ſacri Iuris diuina ſcientia, necnon
Notitiæ Legum, quæ mala cuncta uetant.
Crimina quò poſſent cohiberi ſæua per orbem,
Hæc retinenda iubet uincula certa Deus.
Vir bonus, ac ſapiens nunquam reprobauit honeſta
Iura, nec eſt paſſus fixa mouere loco.
Mutationes Rerumpub. ξεναγοφόροι
Nam nequeunt tolli ſine cædibus illa cruentis,
Quòd multis eadem uix ſine lite placent.
Qui ueteres Leges furioſior abrogat, idem
Cogitur & plures tempore ferre malas.
Ceù rediuiua ſecet ſi quis capita illius Hydræ,
Aſpera quam tenuit margine Lerna ſuo.
Forſitan obijcias Leges mala ducere ſecùm
Humanis rebus plurima ſæpe graues.
Quid (miſerùm) quæ nos ſine fine moleſta fatigant
Attinet immenſi ponderis eſſe iuga?
Omnes quæ merito dicuntur nomine Leges,
Hæ noſtro ſtatui commoda multa ferunt.
Et quamuis aliquid uitij compluribus inſit,
Non temerè tamen hinc ulla mouenda uenit.
Si quis apud Locros olim uel ferre paraſſet
Lege nouum quiddam uel renouare uetus,
Hic in concilium ueniens inſerta gerebat
Orator collo uincula dura ſuo.

Si noua lex aliquid mandaſſet turpiter, iſto
Sunt laqueo tanti guttura preſſa uiri.
Vſqueadeò nocet hæc dominandi dira libido,
Quam bene prudentes ſic uoluere premi.
Sin eadem cunctis tantùm ſuadebat honeſtum
Officium, ſubitò funis ademptus erat.
Magnificoq; uiro populus decreuit honores,
Huncq; uel ad cœli ſydera laude tulit.
Hinc redit Antiſtes, qui Biblia doctus ad unguem Theologi & miniſtri eccleſiæ.
Proferat immenſi iuſſa colenda Dei.
Qui grauis inſtituens ſanos pietate miniſtros
Subdita diuino pectora iure regat.
Non modò mente pius, nec re culpandus in ulla,
Sed ſacra qui recta cuſpide uerba ſecet.
Non aliter quàm dura coquus fugit oſſa peritus,
Cùm ſolet articulis membra ferire ſuis,
Audiat ut certis Eccleſia ſancta diebus
Compoſitis Verbum ritibus uſquè ſacrum.
Noſtra Dei monſtrans iram ob peccata furentem
Territa Lex feriat fulmine corda graui.
Hæc Euangelion ſoletur amabile, gratis
Quo datur à Domino gratia tanta pijs.
Pignora ſuſcipiant omnes ſibi firma ſalutis
Perpetuæ, CHRISTVS iuſſit ut illud agi.
Acceptoq; ſemel baptiſmo, ſæpe petenda
Corporis & ſacri cœna cruoris erit,

Quò memor hic ſtabili cœtus ſibi credat in æuum
Crimina ſub CHRISTI *morte remiſſa, fide.*
Vt queat ex animo meritas tibi ſoluere grates
Exhibito ſemper laudis honore Deus.
Et uigil expectet redituri tempus IESV
Iuuentus ſtudijs Spiritus uſquè pijs.
Hic meritò dici conſueuit Epiſcopus, ut qui
Spectet an & reliqui munia ritè gerant.
Nam niſi cura gregem uigilans tueatur inermem,
Inuenias rabidis omnia plena lupis.
Omnia plena lupis hodiè ſimulantibus omne
Veræ, ſed falſò Relligionis opus.
Præ ſe blanda ferunt uerbis habituq́; reperto,
Sed mala ſub leni pectora ueſte tegunt.
Lana, cutis, caro detrahitur balantibus omnis,
Oſsibus, hei, fractis tota medulla fluit.
Ingens incumbit paſtoribus atq; miniſtris
Commiſsi magno cura tremore gregis.
His etenim ratio eſt ouium reddenda ſupremo
Cum ueniet iudex orbis, acuta, Deo.
Deſtruat ut Verbo ueniemia monſtra potenti,
Et pius & ſapiens doctor habendus erit.
Qui ueri ſoluiſſe tenax obiecta malorum
Poſsit, & in recta nos retinere fide.
Hoc niſi qui precibus uoluens noctesq́; diesq́;
Aſsiduis Verbum reddere nemo poteſt.

Si iuuet inſigni tua picta tabella colore
Lumina, non expers quæritur artis homo.
Eximium petit artificem ſibi quiſq; profectò
Seu fabricanda domus, ſeu facienda ratis.
Mundus enim auritis hodie eſt ſibi plenus aſellis,
Paſcis ubiq; ſues nunc Epicure tuos.
Sollicitè uigilans hic Iudæ regna reuoluat,
Viſaq; per Vates ſæpe nouata ſacros.
Virgine prognatus Maria quod mandat IESVS
Et proprio quicquid robore CHRISTVS *agit.*
Dogma quod & quiuis commẽdat Apoſtolus, & quæ
Per ſanctum Paulus flamen acutus habet.
Quodq; boni ſanctiq; patres docuere, nec ulla
Suſcipiat Scriptis abſona dicta ſacris.
Hinc & Apollineo clarus qui fulget honore Medicina
Egreditur, morbos pellat ut arte graues.
Eſt alijs Medicus multis præſtantior unus, ››
Mæonides ueluti carmine doctus, ait. ››
Omnia naturæ tenet hic arcana, poliq;
Sydera non iſtum, non Elementa latent.
Hippocratis locuples teſtis doctrina periti,
Hoc facunde docent ſcripta Galene tua.
Quæ ſit morborum ſapienter cauſa malorum,
Corporis & noſtri quæ ſit origo uidet.
Arte ſuis omnes deſcribit uiribus herbas,
Quæ ſuccis ægros ſæpe leuare ſolent.

Hæc opifex rerum uegetatæ ſemina terræ,
Non fruſtrà tantas undiquè donat opes.
Eſt autem nobis quiddam mirabile, quòd ſic
Vi ſibi congenita quælibet herba ualet.
Quid referam gemmas, quibus admiranda profectò
Virtus, & clari luminis ardor ineſt?
Apparat ægrotis tantam Medicina ſalutem,
Quantam ferre ſuis ingenioſa poteſt.
Non opis eſt hominis ſanetur ſemper ut æger,
Cuncta fugat morbus pharmaca ſæpe grauis.
Mille per expertos ſeruantur corpora, uerùm
Qui minùs experti corpora mille necant.
Hi magis audaces modò ſordida lucra ſequuntur,
Et quæſtus cauſa turpiter iſtud agunt.
Sed grauibus ſoluunt illi nos tempore morbis,
Qui populaturi corpora noſtra forent.
In numerum quarè ſtudioſè clara Deorum
Gens ſolita eſt Medicos priſca referre bonos.
Poëtæ. *Hinc uenit afflatus diuino Numine uates,*
Omnia qui lepido carmine læta facit.
Ille quidem magnus numeris Orator ademptis
Candida dulciſono flumine corda rigat.
Hic idem ſolito ueterum de more Sacerdos,
Qui faceret Superis omnia ſacra, fuit.
Teſtis erit, Perſen quo fratrem taxat iniquum,
Qui bene Ruricolis utile fecit opus.

Heſiodus

Heſiodus Phano Parnaſſi præfuit olim,
Quod fuit & Muſis & tibi Phœbe ſacrum.
Num uerò teneras modò pro dulcedine cantus
Aures oblectat quæſo Poëta tuas?
Imò ſuis doctè ludens ambagibus ille
Res magna peragit dulciter arte graues.
Sæpiùs eſt etiam paruis ſua gratia rebus, "
Si bonus has merito pingit honore color. "
Ludicra multa quidem fingens ad ſeria tandem
Peruenit, ut fumos lucidus ignis agit.
Quid ſapiens poſſit ſub Vlyſſe figurat Homerus,
Præmia quæ raptus Ilias alta docet.
Res memorans geſtas deſcribit nomina Regum,
Quos facit à mœſtis uiuere laude rogis.
Carminibusq́; Dei præconia ſæpe canuntur,
Humanum celebrant carmina ſæpe decus.
Nam licet aſpergant nitidis obſcœna Libellis
Quidam multa ſuis, non tamen illa probant.
Sed uelut è pictis turpes uoluere tabellis
Agnoſcant mores tempora quæq́; ſuos.
His animos arce teneros dum firmior ætas
Vitæ cauta ſuæ poſſit habere modum.
Quid Numeris queat eſſe prius, quid amœnius, oĩs
Cùm natura ſuis tota ſit apta modis?
Hinc eſt & reſonam tibi Muſica grata per artem
Quæ reficit certis pectora mœſta ſonis.

Muſica eſt arte numerandi.

Nam cùm per uarias hominum ſint obruta curas
  Triſtia mœſtifico corda dolore leuat.
Gutture ſeu uoces ædas Ioſquine ſonoras,
  Seu feris argutam plectra per apta lyram.
Muſaq; diuinæ famulatur idonea laudi,
  Dum colitur ſano per ſacra corde Deus.
Rex docet & Vates hoc dictis req;, peritas
  Hac Dauid citharæ dum ferit arte fides.
Attrahit hæc homines ſonitu dulcedo frequentes,
  Hoc longo retinet tempore corda melos.
Condita per numeros ita certos cuncta feruntur,
  Quæ uaſtis totus finibus Orbis habet.
Stelliferos uoluit cùm cœlica Machina motus,
  Aedunt concentus ſuauiter aſtra ſuos.
Dulciſonasq; ſuo reddunt ea murmure uoces,
  Si modò Pythagoræ ſunt rata dicta grauis.
Ingenijq; tenax ſolet emollire ferocis
  Robur, & ad mores hæc facit ipſa bonos.
Compoſitos uitæ geſtus conformat, & aptè
  Diſtrahit à cunctis corpora noſtra feris.
Quid uerò Numeris uariantibus arte ſonoris
  Dulcius hac noſtris auribus eſſe poteſt?
Quid referã, quo Thrax, cõmentũ, fingit Orpheus
  Vulgatum modulis ſaxa mouere ſuis?
Nec minùs in ſyluis ingentia carminis hac ui
  Exiluiſſe ſuo robora mota loco?

Quin

Quin & Cadmæas ſubitò cingentia Thebas
    Mœnia per placidos iuncta coiſſe ſonos?
Nam fera corda domans Symphonia purgat, & atris
    Mentibus adfectus eximit illa malos.
Mitigat ingentes imo ſub corde furores,
    Induit & motus impetuoſa pios.
Magnus Alexander cùm fortis inire pararet
    Bella, dabat certos, ſit quibus ira, ſonos.
Nec minùs aſſumptis quoties reuocaret ab armis,
    Sedabat blandis pectora ſæua modis.
Tantus ineſt uoci calor & uis tanta ſonoræ, „
    Vt quocumquè libet pectora noſtra trahat. „
Prodit & hinc cœlo qui nominat aſtra ſereno, Mathematici & Geometræ.
    Orta tenens nobis, lapſa quid illa ferant.
Quiq; ſuo totas metitur limite terras
    Aßignans certos cuilibet arte locos.
Quid ſibi tota uelit moles pulcherrima rerum,
    Et quiſnam tantum fecerit Author opus.
Cognita præclari nobis hæc machina Mundi
    Arguit in ſeſe certius eſſe Deum.
Quìn nihil in toto naturæ lumine rerum
    Tam uiget exiguum, quod minùs iſtud agat.
Ille uidet quo cuncta Deus diſtinxerit apto
    Ordine, quo poßit pulchrius eſſe nihil.
Qui fit ut haud dubia rapidum diſcreta per annum
    Hæc uice uoluenti tempora ſole fluant.

Quot gradibus magnũ percurrat Phœbus Olympũ
Signa means curſu per duodena ſuo.
Quæ ſit cauſa mali defectus luminis, unam
Horrida cùm partem corporis umbra tegit.
Quid faciat uariæ breuiora uolumina Phœbes,
Necnon menſe uagos prætereunte ſitus.
Quid nunc plena ſuo ſpectetur in orbe, quid autem
Nunc incurua latens cornua parte gerat.
Rebus in his Claudi doctam Ptolemæe dediſti
Lecturis operam non ſine laude tuam.
Vtilis Agricolæ, qui certis cogitur anni
Semina temporibus ſpargere quæque ſuis.
Phyſiologia. *Omnia qui ſpeculans harum primordia rerum*
Colligit, hinc acri pectore doctus adeſt.
Maſſa quid illa rudis fuerit docet iſte, quid illa
Informis moles, quid ſine luce Chaos.
Nam uarijs unà rebus commiſta iacebant
Omnia, nec conſtans tunc ſibi Mundus erat.
Lucida non radijs fulgebant ſydera claris,
Cæca ſed hæc tenebris delituere ſuis.
Splendidus obſcuro Sol nullus in æthere luxit,
Luna nec obfuſci corporis ulla fuit.
Non roſeis aurora dies rubicunda capillis
Duxerat, & nondum Lucifer ortus erat.
Omnia caligo conſperſa tenebat, & Orbis
Nil aliud quàm nox horridus atra fuit.

Materie uenit è prima, ſed quattuor iſtis
Rebus miſta ſuis hæc Elementa iacent.
Ignis ſumma leuis, medium ſpirabilis Aër,
Hinc Aqua, poſtremum pondere Terra tenet.
Viq; ſua cælos agitanti Numine quicquid
Naſcitur, hinc ſumit ſemina prima ſui.
Namq; prior Phœbi motus ſibi raptus ab ortu
Semper in occiduas turbine fertur aquas.
Aduerſa uideas nitentes parte Planetas
Tempora quò rebus quilibet apta ferat.
Continuos cæli uoluentia ſydera curſus
Fluxu cuncta fouent inferiora ſuo.
Hinc homo diuinæ ſed pars quota nobilis auræ
Omnia non expers qui rationis agit.
Hinc omnis pecus eſt generis quod inane, feraxq́;
Terra, quod & latè fertilis unda parit.
Inde ſuos fructus fert ramis arbor opacis,
Quælibet hinc pollet uiribus herba ſuis.
Hinc fruges, cuiuis animali pabula, necnon
Mater quas Tellus optima gignit opes.
Naturaq́; tuis iuſſis operante creata
Hæc homini ſacro ſubijcis ore Deus.
Atq; iubes uarios hæc omnia uertat in uſus,
Tanta micat bonitas, gloria tanta Patris.
Sed tibi quas miſeri ſoleamus reddere grates
Munere pro tanto, prò dolor, alme patet.

Non habet ipſe uices æther ut purior, uſquè
Huic ſtabilis facies, quæ fuit antè, manet.
At quæcumq; ſuo pariunt Elementa tenore
Aedita, labuntur tempore cuncta breui.
Frigida ſic calidis pugnant, uelut hūmida ſiccis,
Hæc bene miſta uigent, non bene miſta ruunt.
Hæc quoq; mirifico rerum contraria nexu
Viribus Aſtrorum conſociata manent.
Ignis ut hic leuis eſt ſummam tenet altior arcem,
Et prope Lunarem uoluitur uſquè globum.
Naturaq; calens, agilis, ſubtilis & acris
Iſta fouet flammis cuncta creata ſuis.
Hunc aër ſequitur leuitate locoq; propinquus,
Vt calidus, liquidis ſic magis udus aquis.
Ducitur aßidua per tres uertigine certa
Quas ſitus euariat cum ratione, plagas.
Prima ſub ignifero fulgentior emicat orbe,
Et ſibi uicino ſemper ab igne calet.
Quin agitat magnos & ſphæra propinqua calores,
Quos uehemens in ſe motus habere ſolet.
Viribus Aſtrorum ſublato ſumma uapore
Hæc regio generans ignea monſtra parit.
Hîc uideas teretes haſtas Stellasq; cadentes
Cœlo, & ſaltantes lucidiore Capras.
Promicat occiduo grauis inflammatio tractu,
Crinibus hîc fulges dire Cometa tuis.

Horrida

Horrida conſurgunt maculoſi terga Dracones,
Et face flammiuomi ſplendidiore uolant.
Rara trahens arcum tricolor per nubila longum
Iris ab oppoſito lumina Sole capit.
Eſt hominum generi nota fœderis illa tenendi
Monſtrans placati ſymbola certa Dei.
Crimina q̄ minùs hūc uelit ob ſua perdere Mundū,
Vt ſemel adductis fecerat ipſus aquis.
Ingentiq́; patens per inane uoragine magnum
Aetheris immenſi uaſtus hiatus adeſt.
Altera per medium fugientibus ignibus Orbem
Horrifico ſemper frigore ſtricta riget.
Hinc nubes pluuias foturas uiſcera terræ
Demittunt lapſu fœta riganda ſuo.
Grandia nymboſus nobis hinc damna daturus
Proximior ſubitis corruit imber aquis.
Altè concutitur glomeratæ grandinis apto
Frigore concretis terra repente globis.
Horrendumq́; ſonat tonitru cum fulgure, necnon
Turrifraga crebrò fulmina peſte cadunt.
Hinc Auſtri madido deſtillant flamine rores,
Occupat iſta gelu ſi mediocre loca.
Irrigui penitùs miræ uirtutis adepta
Robore fœcundant ſemina cuncta ſuo.
Noctibus hinc gelido riget alba pruina ſerenis
Tempore, qua languens uiribus herba iacet.

Frigore ros hæc eſt nimio rigefactus, oborto
Lucida quem Phœbi lampas ab igne fugat.
Diſtrahit ut lanam maiore tepore ſolutis
Horridior molles nubibus aura niues.
Tertia non conſtans ſibi Terris notior, anceps
Voluitur, & uarias mutat opaca uices.
Aeſtuat interdùm radijs ſolaribus, atq;
Lumine pulſatur torrida facta uago.
Hinc etiam uarijs oriuntur ſigna figuris.
Ardentiq; uolant monſtra timenda facè.
Quæ malè perterrent unctos horrenda uolando
Nautas, dum uaſtis nocte uehuntur aquis.
Sic gemini lætum Caſtor Polluxq́; micantes,
Solus ut alteruter triſtius omen habet.
Nunc uero friget rigidis hirſuta capillis,
Quando refert canas horrida Bruma niues.
Aëra conſequitur liquidum maris unda profundi,
Quæ tumido reſonans murmure ſæua fremit.
Molibus undè ſuis ingentis & inſtar in altum
Vi nubes cœli montis abire uides.
Hinc gelidi nobis promanant undiquè fontes
Per loca, quæ tellus concaua ſubtùs habet.
Fluxibus undè ſuis Amnes labuntur, & omnes
Qui faciunt riui flumina magna uagi.
Vndè per occultos uento pugnante meatus
Concutitur motu terra coacta fero.

Spiritus ille ſui tenebris incluſus opacis
Quæritat egreſſus pro leuitate locum.
Si ſubitò liber patet huic non exitus, ampla
Vi ualida ruptis fit uia ceſpitibus.
Hinc totas aliquandò ſibi ferus auehit urbes,
Maxima telluris ſi qua uorago patet.
Vltima ſub magno ſpacioſi corporis orbe
Pondere ſubſedit frigida terra ſuo.
Ceu murus medio conſiſtit in aëre, nuſquàm
Se magis inclinat robore firma graui.
Inter mobilium uegetantia ſemina rerum
Vna manet ſtabili terra quieta ſitu.
Quòd uerò tumidas alibi ſupereminet undas
Tellus exuperans, maxima cauſa ſubeſt.
Omnia quò ſpacium teneant animalia certum,
Quæ leuis aſpirans aura neceſſe fouet.
Et ſua quò generent miſcendo corpora fœtus,
Conquirantq́; ſuis pabula læta modis.
Plurima cũ nequeant ſub aquis ſibi uiuere, quendã
Vnda ſuum terræ cedit aperta locum.
Hinc cœpere caput lapidoſi promere montes,
Collaq́; ſublatis alta patere iugis.
Munera fœcundi diffundere Bacchica colles,
Quæ curis hominum triſtia corda leuent.
Hinc depreſſa ſuo gelidæ per compita terræ
Tramite decliui uallis opaca iacet.

Arua per ingentes campos proſcindit aratro
Ruſticus incuruo frugibus apta bonis.
Prata ſuis uideas nitidis florere uiretis,
Paſcua ſuccreſcens gramen amœna facit.
Syluaq́; ſub Zephyro roſeis turgeſcere gemmis
Cœpit, & educta fronde uirere ſua.
Hinc Aſiæ uario regiones limite paßim
Extant diſcretæ per loca certa, ſuo.
Et quas Agricolis magno ſine frigore gratas
Aßiduis ſtudijs Africa terra colit.
Noſtra micat CHRISTI *magnis Europa triũphis,*
Etſi caligo nomen opaca dedit.
Ex his per terram latè diſtincta patentem
Finibus exiſtunt regna beata ſuis.
Turrigeræq́; procul ſpectantur amœniter urbes,
Quas propè per fluuios alluit unda ſuos.
Fortibus hinc arces extollunt undiquè muris
Egregiæ longum per iuga ſumma caput.
Hinc humiles pagi, qui fonte fruuntur amœno
Exiguis conſtant in regione locis.
Sic mea tu riuis & ſyluis cincta duabus,
Vallibus in medijs paruula Bola iaces.
Deniquè (non opus eſt multis ut te morer) ex hoc
Artes floreſcunt ordine quæque ſuo.
I nunc & ſtudeas Muſarum ſoluere ludos,
Commoda quæ nobis tempore tanta ferunt.

Talia

Talia ſunt ueteris renouatæ dogmata Sectæ,
Quæ cupit humanum mergere dira genus.
Quin abſurda noui cumulant ſibi plura furenter
His Anabaptiſtæ callidiora malis.
Praua cor humanum teneris meditatur ab annis, „
Pluſq; mali ſemper quàm bonitatis alit. „
Optima contemnit, ridet, fugit, arcet, & odit, „
Et præfert ſolidis deteriora bonis. „
Hoc uitium naſcens adfert natura, nociuo „
Horrida conceptu crimina ſemen habet. „
Prolibus iſta ſuis miſer ipſe reliquit Adamus „
Obrutus à uafra dæmonis arte Parens. „
Ille malus toto ſemper furit hoſtis in orbe „
Exardens populum perdere CHRISTE *tuum.* „
Sed tu fortior hoc, fœlix homo quiſquis in æuum, „
Quem tua diuino robore dextra tegit. „
Hos precor, ut ſerues, quibus eſt tua gloria curæ, „
Quiq; tuum toto pectore dogma colunt. „
Nam Catabaptiſtæ furijs agitantur apertis,
Quando malis turbant optima quæque dolis.
Sicq; nouum parit omne nefas uetus error, & ipſe
Paruus in immenſum multiplicatus abit.
Aggrauat & ſenium Mundi peccata furentis
Omnia, flagrantes dæmone flante faces.
In ſumma, quicquid docet hæc inſania, certè
Omnibus in rebus ſeditioſa mouet.

Cunctaq;

Cunctaq́; diſturbans rabido diuina furore
Tollit, & humanum ius mala Secta negat.
Quorſum Tiſiphone raperis furiatus ab atra?
An te uicturum tempus in omne putas?
Corporis illa grauis tibi quæris commoda, uerùm
Non curas Animæ nobiliora tuæ.
Hinc eſt quòd tanto tacitus tenearis amore
Magnarum miſer, hei, non ſatiatus opum.
Iam tandem maleſane tuis reſipiſce periclis
Doctior, effuſis plura nec adde malis.
Tu pius incumbas precibus ſine fine, Deoq́;
Viuas depoſito totus amore tui.
Tuq́; uoluptatis, uentris, tu laudis inanis
Abijcito ſtudium, concipe mente fidem.
Quam ſi non habeas, orans tibi poſcito Flamen
A Patre, quod dabit hāc, tempus in omne, ſacrū.
Promittit Deus hoc ex corde petentibus imo
Verax, ſi potes hoc poſcere, uictor eris.
Quin Euangelion CHRISTI *pro uiribus omnì*
Tempore promoueas pectore dogma pio.
Gentibus ut cunctis reuerenter in orbe colatur
Gratifica ſummus Religione Deus.
Fac, mihi crede, tuum uenerabile nomen IESV,
Robore quod ſuperat nomina cuncta ſuo.
Quod Deus huic donans nato Pater extulit, altum
Quod cœlum, Tellus, infera regna tremunt.

Cuiq́; genu poſito procumbunt omnia, uaſtus
Hic quæcumq; ſuis finibus Orbis habet.
Omnis & hunc Dominũ ſibi Chriſtũ lingua fatetur
Eſſe, Deo ſit ut hinc gloria ſumma Patri.
Quare diſcutias animo caliginis umbram,
Vt tibi lux iterum clara redire queat.
Tu malè deceptum per Erinnyas exue pectus,
Et lachrymans ad te, dum licet, ipſe redi.
Cordi crede tuo, ſanosq́; recollige ſenſus,
Aſpera iam uitijs inijce frena tuis.
Noctes atq; dies Scripturam uolue, tuæq́;
Sollicita curam mente ſalutis habe.
Tuq́; precare pio per CHRISTI nomen honore,
Quò tibi condonet crimina tanta Deus.
Sic ſceleris culpam, pœnasq́; remittet acerbas,
Magnaq́; per ueram concidet ira fidem.

FINIS.

ERRATA.

A Columna 3.uerſu 5.lege Diœceſios loco Dio cæſios.
B columna 4. uerſu 21. lege in non iri.
C co.7.uer. 16.le. Alueolū non fluuiolum.co.8. u.13.l. Salutifer. c.9. uer.17.loco miſeros l. faciāt. co.15. uer.6,l.Hauſit,& his Pubes cultior oīs erat.
D co.14.uer.4. le. Libera quòd freno tota iuuenta uacat.
E co.2. uer. 17. le. Nam ruit in blandos feruor iuuenilis amores. co.6. uer. 1.le. Has Deus ingentes humano in corpore pœnas.
F c.2.uer.18,l.Hinc peritura rudis tota iuuenta ruit. c.3.uer. 15.le.Et q̄bus eſt ætas curæ Iuuenilis, ut artes. co. 14. uer. .8.le. peruaſit.co.ult. uer. 11. le. Quid rogo moliris patriā meditatus in urbē.
G co.3.uer.15.lege Laxat.co.5. poſt uerſum 6. omiſſa ſunt hæc 2.carmina,Horrida concepti paulatim Secta furoris, Symbola flagitiјs dat manifeſta ſuis.co. 12.uer. 12.lege Cogitis urgenti. co. 14. uer.25.le.Denſas.
H co.9 uer.19.le. Tota furens animis fremit arma ruitq́; Iuuentus.co.13.uer.24.le.Turba iuuentutis uix reditura fugit. co.ult,uer.16.le.agitabit non flagitabit.
I co.6.uer.4.le. Auribus halitus haud ducitur ore leuis.co.ult.uer. 18.le. Turbant. co. eadē, uer. 21.le.dictis non uictis.
K co.4.uer.10.le.triplicis.co.6. uer. 15.le . Eq́; non Aeque.co.11.uer.22.le.præparat.
L co.3.uer.4.le.Et facit.
M co.1.uer.14.le.Rabido.co.7.uer.21.le.Exultans animis laudis cupienſq́; iuuentus.co.9.uer.7. le. cedere.c.15.uer.23.le.ualidas.
N co.9.uer.10.l.ſed,loco quod. co.eadē.uer.21. Nunc at hic occultè.co.12.uer.19.le.Iuſſis.co.ult. uer.7.le.Huic iubet.
P co.1.uer.14.le. limbus. co 3.uer.10. le.circulus non cingulus.co.9.uer.10, le.ante.co. 10. uer. 19 le. Quos iubet.

Q co.

ERRATA

Q co.6.uer. 21.le. Quam rem molire, an adeſſe. co.8.uer.14. le. Nonnullis & ligo terga grauat. co.13.uer.17.le.paſſi non paſci.

R co.1.uer.6.le.corpora.co.9.uer.23.le. Atq; ſuis aliquot.co.11.uer.5.le.tumido.

S co 3 uer.3.le plena.co.eadē,uer.23.le.Teſſera. co.7.uer.17.le.Stratis.co.9.uer.6. le.hac,loco hæc. co.11.uer.8. l. nix non uix.

T co.4.uer.17.le.Crechtingus co.11.uer. 7. le. cenſent.co.11.uer.16.l.hæc non hac.co.19.uer. 25.l. Monticolæ.

Y co.1.uer.1.le.ſuperbo.co.4.uer.2.le.truculēte. co.14.uer.ult.le.Flaminis.

BB co,7.uer,17.le.Bonitasq;,fauorq;.

1007169